

APPENDICES

A. 1.

Processus informativus Adami Nowodworski ad episcopatum Premisiensem promovendi, ab Antonio Santa Croce confectus

Varsaviae, 10-22 VII 1627.

Acta processus informativi Adami Nowodworski, epi Camenecensis, ad episcopatum Premisiensem, post translationem Achatii Grochowski ad sedem Luceoriensem vacantem, promovendi. Enumerantur nomina testium et interrogations eis positae, ad personam ipsius promovendi et statum dioecesis pertinentes. Adducuntur responsa Nicolai Sapieha, palatini Novogrodensis, Maximiliani Przerębski, castellani Siradiensis et referendarii Regni, Nicolai Szyszkowski, secretarii maioris Regni, Christophori Brzozowski, notarii terrae Bielsensis, Stanislai Lubieński, epi Plocensis, Nicolai Wolski, supremi marescalci Regni, Gregorii Dunin, dapiferi terrae Ravensis, Sigismundi Kazanowski, Zuchariae Nowoszycki et Adami Komoniecki. Sequuntur iuramentum et professio fidei Adami Nowodworski, attestatio iuramenti a nuntio facta, attestatio fidei actorum processus a testibus, deinde a notario facta, et confirmatio facultatum notarii atque attestatio fidei huic instrumento adhibendae a nuntio facta.

Or.: AV, AC, Proc. Consistoriales, ms. 28 f. 36r-52v. In f. 35r nota: "1627, Ecclesia Premisiensis, [relator] card. [Cosmus] de Torres"; in f. 54v decisio Curiae Romanae: "Ego Cos[mus] Card. de Torres relationem facturus pro certo existimo Rev.dum Patrem D.num Adamum Novvodvorski, Episcopum Camenecensem, idoneum esse ut ad Ecclesiam Premisiensem transferatur. Cosmus Cardinalis de Torres, relator; idem sentio ego, Octavius, Episcopus Ostiensis, Cardinalis Bandinus; idem sentio ego, Scipio Cardinalis Burghesius; idem censeo ego, Hipolitus Diaconus Cardinalis Aldobrandinus".

IN NOMINE DOMINI. AMEN.

Praesenti publico processus instrumento cunctis ubique pateat evidenter et sit notum, quod Anno a Nativitate eiusdem Domini Nostri Iesu Christi millesimo sexcentesimo vigesimo septimo, Indictione decima, die vero decima mensis Iulii, Pontificatus autem Ss.mi in Christo Patris et Domini N.r. D.ni Urbani, divina providentia Papae Octavi, anno eius quarto.

Coram Ill.mo et Rev.mo D.no Antonio Sanctacrucio, Dei et S. Sedis Apostolicae gratia Archiepiscopo Seleuciensi nec non eiusdem Ss.mi D.ni N.r. Papae Praelato Domestico et in Cappella eiusdem Assistente, et pro eodem Ss.mo eiusque S. Sedis Apostolicae ad Ser.mum Sigismundum Tertium, Poloniae et Suetiae Regem, totumque Poloniae Regnum et Magnum Lithua-

niae Ducatum cum facultatibus Legati de latere Nuntio, meque notario publico et Curiae Causarum dicti Ill.mi D.ni Nuntii Apostolici Cancellario.

Comparuit Ill.mus et Rev.mus Adamus Nowodworski, Epus Camenecensis, Abbas Premetensis, et exposuit, quod cum ipse cupiat ex benignitate et gratia eiusdem Ss.mi Domini N.ri Papae eiusque S. Sedis Apostolicae de Ecclesia et Episcopatu Camenecensi se mutari et transferri ad Ecclesiam et Episcopatum Premisliensem, vacantem seu vacaturam per mutationem seu translationem faciendam per Ill.mum et Rev.mum D.num Achatium Grochowski, Episcopum dictae Ecclesiae Premisliensis, ad Ecclesiam et Episcopatum Luceoriensem, illius ultimi possessoris.

Ideo institit, ut dictus Illustrissimus dignaretur mandari confici processum super vita, moribus, legitimis natalibus et aliis requisitis qualitatibus ipsius Ill.mi D.ni Adami; ac etiam de statu praesenti Ecclesiae Premisliensis, iuxta formam Sacri Concilii Tridentini et Constitutionis felicis recordationis Gregorii Decimi Quarti¹.

Qui Ill.mus et Rev.mus D.nus Antonius Sanctacrucius, Nuntius Apostolicus, [36v] praedicta attendentes, dictum processum confici, iuramenta et depositiones testium desuper inducendorum et examinandorum recipi, ceteraque necessaria fieri, et per me, eundem Curiae Cancellarium, rogari et omnia et singula in publicam formam redigi et redacta eidem Ill.mo D.no Adamo consignari mandavit et mandat per praesentes etc. In quorum...

Quibus ita gestis idem Ill.mus et Rev.mus D.nus Antonius Sanctacrucius, Nuntius Apostolicus, mandavit testes, ut supra, inducendos et super infrascriptis interrogatoriis examinandos, ad se vocari et examinari, praestito prius in manibus Dominationis Suae Ill.mae iuramento de veritate dicenda... prout omnes iurarunt tactis...

Nomina Testium

1. Illustris et Magnificus D.nus Nicolaus Sapieha,
Palatinus Nowogrodiensis².
2. Illustris et Magnificus D.nus Maximilianus Przerembski,
Referendarius Regni³.
3. Perillustris et Rev.mus D.nus Nicolaus Seyszkoroski,
Secretarius Regni Maior⁴.
4. Generosus D.nus Christophorus Przoroscko, Notarius Terrae Bielsensis⁵.
5. Ill.mus et Rev.mus D.nus Stanislaus Łubiński, Episcopus Luceoriensis.

¹ Cfr. Conc. Trid., Sessio XXII, can. 2, et constitutionem Gregorii XIV "Onus Apostolicae servitutis", 15 V 1591, cfr. Bullarium Romanum IX, p. 419-424.

² Nicolaus Sapieha (circa 1565-1638), palatinus Minscensis ab a. 1611, Novogrodenensis ab a. 1618.

³ Maximilianus Przerębski († 1639), marescalcus aulae reginalis ab a. 1619, castellanus Siradiensis ab a. 1620, simul referendarius Regni a. 1624-1633, palatinus Lanciensis ab a. 1637.

⁴ Nicolaus Szyszkowski.

⁵ Christophorus Brzozowski († circa 1635), notarius terrae Bielsensis ab a. 1617.

6. Ill.mus D.nus Nicolaus Wolski, Supremus Regni Poloniae Marschalcus.
7. Generosus D.nus Gregorius Dunin, Dapifer Terrae Ravensis⁶.
8. Magnificus D.nus Sigismundus Kazanovoski, Terrae Ravensis⁷.
9. Magnificus et Adm. Rev.dus D.nus Zaccharias Novvoszicki et
10. Nobilis Adamus Komoniozski.

**Interrogatoria, de quibus supra fit mentio, sunt infra
quae sequuntur, videlicet:**

1. An cognoscat Ill.mum et Rev.mum D.num Adamum Novvodrovvski, Epum Camenecensem, promovendum ad Ecclesiam Cathedralem Premisiensem seu ad illam transferendum, ubi, qua occasione et a quanto tempore citra.
2. An sciat, cuius sit oriundus dictus Rev.mus et Ill.mus D.nus Adamus, et an sit ex legitimo matrimonio catholicis et nobilibus parentibus natus, et cuius aetatis sit, et quomodo sciat.
3. Item an sciat, quod sit Magister in Sacra Theologia vel Iuris Utriusque Doctor aut saltem in Iure Canonico.
4. Item an sciat esse Presbiterum dictum Ill.mum D.num Adamum, et Praelatum, a quanto tempore citra.
5. Item an sciat eundem Ill.mum et Rev.mum D.num Adamum aliquo impedimento detineri, quominus de [37r] Ecclesia Camenecensi ad Ecclesiam Premisiensem possit mutari et transferri.
6. Item an sciat, [quod sit] vitae integritate, bonis moribus, pietate, prudentia et doctrina praeditus, ita ut de dicta Ecclesia Camenecensi ad Ecclesiam Premisiensem merito videatur posse mutari et transferri, eiusque mutationem et translationem profuturam esse Ecclesiae praedictae et gregi ipsi.
7. Item an sciat ipsum Rev.mum D.num Adamum esse solitum frequentre Sacraenta et Sacram Missam celebrare, et quomodo sciat.
8. An sciat ipsum esse et fuisse verum Catholicum et in Fidei Catholicae puritate permansisse, nec ulla unquam haeresi suspectum, timoratae conscientiae, divini honoris et proximi salutis zelantem.
9. An sciat eum esse innocentia vitae, bonae famae et conversationis, et quomodo.
10. An sciat ipsum fuisse coniugatum vel bigamum.
11. An sciat vel audiverit fuisse eidem aliquid imputatum in iudicio, vel extra, in foro ecclesiastico vel saeculari, de re tangente vitam, mores et fidem.
12. Item an sciat ipsum Ill.mum D.num Adamum in aliqua Universita-

⁶ Georgius Dunin († post 1632), dapifer terrae Ravensis ab a. 1618.

⁷ Sigismundus Kazanowski tunc temporis nullo officio terrestri fungebatur. Verba "Terrae Ravensis" videntur esse erronea repetitio conclusionis puncti praecedentis, cfr. notam ad N. 307.

te vel Studio generali studuisse, et in qua seu quo, et pollere ea doctrina, quae in Episcopo requiritur, ut alios docere possit, et quomodo sciat.

13. Item an sciat ipsum habere seu aliquando habuisse beneficia, et quae, aut circa curam animarum seu regimen alicuius Ecclesiae se exercuisse, et quomodo in illis se gesserit, tam quoad doctrinam, quam quoad prudentiam, et quomodo sciat.

14. Item an sciat huiusmodi beneficia requirere residentiam et esse incompatibilia.

15. Item an sciat ipsum semper resedisse in loco illarum Ecclesiarum, in quibus residere debebat et astringebatur, et si aliquando non resedit, qua de causa id fecerit.

16. Item an sciat ipsum permisisse per haereticos detineri bona suorum beneficiorum.

17. Item an sciat ipsum habere familiam haereticam aut familiarem consuetuditem cum haereticis.

18. Item an sciat ipsum dedisse scandalum circa fidem et mores.

19. Item an sciat ipsum esse prudentem, maturi consilii et vitae exemplaris, et habere qualitates requisitas ad Ecclesias Cathedrales, ita ut sit aptus et idoneus ad defensionem iurisdictionis Ecclesiae Premisiensis, et digne possit mutari ad illam et transferri.

[37v] **Alia interrogatoria super statu Ecclesiae Premisiensis**

1. An sciat, in qua Provincia sit sita Civitas Premisiensis, cuius situs, et an sit ampla, quem numerum animarum habeat et sub cuius sit dominio in temporalibus.

2. An in dicta Civitate adsit Cathedralis Ecclesia, sub qua invocatione, cuius sit structurae et amplitudinis, et an indigeat aliqua reparatione.

3. An in dicta Ecclesia adsit Sacrarium, sacris suppellectilibus sufficienter ornatum, Campanile cum campanis, Chorus, Organum, Coemiterium, et alia ad Ecclesiam Cathedralem necessaria.

4. Item an ibidem sint reliquiae Sanctorum, quorum, et an decenter asserventur.

5. Item an sciat, quot dignitates in ea existant, quae est prima post pontificalem, quot habet Canonicatus et alia beneficia, et an cultus divinus in ea exerceatur diligenter.

6. Item an iuxta Ecclesiam praedictam adsit domus pro Episcopi habitatione, et an indigeat reparatione.

7. Item an in dicta Civitate adsit Seminarium puerorum instruendorum, quot studentes in eo degant.

8. Item an in dicta Civitate vel eius Dioecesi adsint Monasteria Monialium et Religiosorum Virorum, quot, cuius Ordinis; an Confraternitates laicales sive Hospitalia sint.

9. Item an cura animarum exerceatur in dicta Cathedrali vel in aliis Ec-

clesiis dictae Civitatis, et in quot, et an adsit fons baptismalis.

10. Item an Dioecesis Premisiensis sit ampla, quot oppida et loca insignia complectatur.

11. Item quantum habeat in annuis redditibus mensa episcopalibus, et annui redditus sint aliqua pensione onerati, qua et ad cuius favorem.

12. Item quomodo vacet Ecclesia Premisiensis, et quanto tempore citra.

Primus Testis

Eisdem anno, mense, die, inductione et pontificatu, quibus supra, pro Ill.mo et Rev.mo D.no Adamo Novvodrovski, Episcopo Camenecensi et Abate Premetensi, contra quoscumque, examinatus fuit Varsoviae in palatio Ill.mi et Rev.mi D.ni Antonii Sanctae Crucis, Nuntii Apostolici, [ipsol] praesente et coram eo, Ill.mus et Magnificus D.nus **Nicolaus Sapieha**, Palatinus Novogrodensis, filius bonae memoriae Ill.mi D.ni Bogdani, Palatini Minscensis, Vicecancellarii Magni Ducatus Lithuaniae⁸, aetatis suae annorum 62 incirca, testis inductus, cui reiterato iuramento de veritate dicenda, prout tactis iuravit [38r] ad Sacrosancta Dei Evangelia, dixit et depositus, super interrogatoriis ut supra datis, et primo:

Iuxta primum respondit: Ego cognosco dictum Ill.mum D.num Adamum Novvodrowski, Episcopum Camenecensem, ab annis viginti incirca, in Aula Ser.mi Regis Poloniae, quo tempore erat Secretarius dicti Ser.mi Regis.

Iuxta 2^m respondit: Dictum Episcopum esse oriundum ex Palatinatu Massoviae, et esse aetatis annorum 50, et natum de legitimo matrimonio ex catholicis et nobilibus parentibus, prout ab omnibus sic est reputatus.

Iuxta 3^m respondit: Nescio dictum Episcopum esse doctorem, sed scio esse valde doctum, ex causa superius dicta.

Iuxta 4^m respondit: Dictum Episcopum esse Praelatum ab annis duodecim, prout quoque Episcopum, ut ipse mihi retulit.

Iuxta 5 respondit: Dictum Episcopum non detineri aliquo impedimento, quod non possit transferri de Ecclesia Camenecensi ad Ecclesiam Premisiensem; et scio per longam conversationem cum eo.

Iuxta 6 respondit: Esse dictum Episcopum integritate vitae, bonis moribus, pietate, prudentia et doctrina praeditum, ita ut de supradicta Ecclesia ad Ecclesiam Premisiensem merito videatur posse mutari et transferri, eiusque translationem profuturam fore Ecclesiae predictae et eius gregi; et scio ex causa qua supra.

Iuxta 7^m respondit: Ipsum Ill.mum D.num Episcopum esse solitum frequentare Sacraenta et Sacram Missam celebrare; et scio quia saepius vidi.

⁸ Bohdanus Sapieha, (†1593), castellanus Brestensis ab a. 1580, Smolenscensis ab a. 1585, palatinus Minscensis ab a. 1588. Munere vicecancellarii Lithuaniae numquam est functus. Hic videtur esse facta confusio patris cum filio, Paulo, vicecancellario a. 1623-1635.

Iuxta 8 respondit: Dictum Ill.mum Episcopum Camenecensem fuisse et esse verum Catholicum et in Fidei Catholicae puritate permansisse, nec ulla unquam haeresi suspectum, imo fuisse semper timoratae conscientiae, divini honoris et proximi salutis zelantem; et scio ex qua supra causa.

Iuxta 9 respondit: Ipsum Ill.mum D.num Episcopum esse innocentia vitae, bonae famae et conversationis, ut supra scio.

Iuxta 10 respondit: Non fuisse coniugatum nec bigamum, et si fuisset, scivissem ex causa praedicta.

Iuxta 11^m respondit: nescire nec audivisse fuisse eidem aliquod imputatum de re contra vitam, mores et fidem, et si fuisset, scirem ex causa praedictae cognitionis.

Iuxta 12 respondit: Nescio, an dictus Episcopus in aliqua Universitate studuerit, sed scio ipsum habere doctrinam sufficientem, et quae in Episcopo requiritur, ut alios etiam edocere possit; et scio ex cognitione praedicta.

[38v] Iuxta 13 respondit, quod dictus D.nus Episcopus ante Episcopatum habuit Canonicatum Gnesnensem aliaque beneficia, quorum nominis ad praesens non sum memor: modo autem esse Episcopum Camenecensem, in quo circa curam animarum se exercuit et optime se gessit, tam quoad doctrinam, quam quoad prudentiam; et scio ex cognitione qua supra.

Iuxta 14 respondit: Scio, quod beneficia, quae ipse Ill.mus D.nus Episcopus Camenecensis obtinebat, esse incompatibilia et requirere residentiam, sed puto ipsum retinere ea dispensatione Apostolica.

Iuxta 15 respondit: Praedictum Ill.mum Episcopum reseditisse et residere in loco Ecclesiarum, in quibus residere debebat, salva residentia apud Sacram Regiam Maiestatem et incursione Tartarorum in Episcopatu, qui confinit cum Regno Tartarorum; et scio ex conversatione cum ipso habita, de quo est publica vox et fama.

Iuxta 16 respondit: nescire praedictum Ill.mum D.num Episcopum permisisse haereticos retinere bona suorum beneficiorum, et non credo dictum Episcopum hoc proposuisse, quia omnino est contrarius dictis haereticis.

Iuxta 17 respondit: Dictum Episcopum non habuisse nec habere familiam haereticam, nec familiares consuetudines cum eis; et scio ex cognitione praedicta.

Iuxta 18 respondit: Scio ipsum Ill.mum Episcopum esse ornatum moribus optimis, nec unquam dedisse scandalum aliquod circa fidem et mores, quod si dedisset scirem ex cognitione praedicta.

Iuxta 19 respondit: Praedictum Ill.mum D.num Episcopum esse prudentem, maturi consilii et vitae exemplaris, et habere qualitates requisitas ad defensionem iurisdictionis Ecclesiae Premisiensis, et digne mutari seu transferri posse de dicta Ecclesia Camenecensi ad Ecclesiam Premisiensem; et scio ex causis allegatis in causa scientiae.

Nicolaus Sapieha, Palatinus Novogrodensis, manu propria,

Secundus Testis

Eisdem anno, mense, die, inductione et pontificatu quibus supra. Pro eodem contra quoscumque, fuit ubi supra, per quem supra, Ill.mus et Magnificus D.nus **Maximilianus Przeremski**, filius Iacobi, Referendarius Regni Supremus, Capitaneus Moscicensis de Palatinatu Siradiensi⁹, aetatis suae annorum 50 incirca, testis inductus, cui reiterato iuramento de veritate dicenda, prout tactis etc. ad Sancta Dei Evangelia iuravit , dixit et depositus pro veritate super interrogatoriis ut supra datis, et primo:

Iuxta primum respondit: Ego cognosco dictum Ill.mum et Rev.mum D.num Adamum Novvodrowski, Episcopum [39r] Camenecensem, ab annis quindecim incirca in Aula Sacrae Regiae Maiestatis Poloniae, et erat Secretarius dictae Sacrae Regiae Maiestatis, et ego quoque eram ad servitium dictae Sacrae Regiae Maiestatis, et versatus sum cum illo.

Iuxta 2^m respondit: Dictum Episcopum esse oriundum ex Palatinatu Massoviae, et de legitimo matrimonio, et ex nobilibus et catholicis parentibus natum, et dicta familia habuit septem episcopos et multos senatores; et scio et sum informatus, quia mea patria parum distat a patria ipsius.

Iuxta 3^m respondit: Esse dictum Episcopum doctum; et scio, quia versatus sum cum illo, ut supra deposui.

Iuxta 4^m respondit: Dictum Episcopum fuisse Praelatum a multis annis, modoque esse Episcopum; et scio, quia versatus sum cum illo ut supra.

Iuxta 5 respondit: Non detineri dictum Episcopum aliquo impedimento, quod non possit transferri de eius Episcopatu ad Episcopatum Premishensem; et scio, quia versatus sum cum illo ut supra.

Iuxta 6 respondit: Esse dictum Episcopum integritate vitae, bonis moribus, pietate, prudentia et doctrina praeditum, ita ut de facili videatur posse mutari ad dictam Ecclesiam Premisliensem, eiusque mutationem fore profuturam dictae Ecclesiae eiusque gregi; et scio, quia versatus sum cum illo et ita talem semper cognovi.

Iuxta 7^m respondit: Non vidisse celebrare Missam, sed audivisse ipsum solere celebrare et Sacraenta frequentare.

Iuxta 8 respondit: Esse verum Catholicum dictum Episcopum et in fidei puritate permansisse, nec haeresi unquam suspectum fuisse, imo ipsum Episcopum fuisse et esse timoratae conscientiae, zelantem divini honoris et salutis proximi ; et scio ex causa cognitionis ut supra.

Iuxta 9 respondit: Esse innocentia vitae, bonae famae et conversationis; et scio, quia eum cognovi ut supra .

Iuxta 10 respondit: Non fuisse dictum Episcopum coniugatum, quia si fuisset, scirem ob praedictam causam cognitionis.

Iuxta 11^m respondit: Nescio prout nec audivi dictum Episcopum fuisse in aliquo imputatum in Iudicio, vel extra, de re contra vitam, mores et Fi-

⁹ Maximilianus Przeremski capitaneus Moscicensis erat ab a.1613.

dem Catholicam, et si fuisset imputatus, scirem ob causam cognitionis praedictae.

[39v] Iuxta 12 respondit: Dictum Ill.mum D.num Episcopum esse docum, eaque doctrina pollere, quae in similibus episcopis requiritur; et scio per practicam ut supra habitam.

Iuxta 13 respondit: Habuisse dictum Episcopum beneficia per aliquot annos et modo habere Abbatiam Premetensem, et se exercuisse cum illo gubernio, regimine et doctrina, et quoad praedictam requisitam in simili Episcopo; et scio ex causa cognitionis praedictae.

Iuxta 14 respondit: Nescire dicta beneficia requirere residentiam et esse incompatibilia, salvo Episcopatu qui est de residentia, prout omnibus patet.

Iuxta 15 respondit: Dictum Episcopum semper resedissee in sua Ecclesia Episcopali, exceptis quibusdam temporibus Comitiorum, incursionis Tartarorum et residentia in Aula; et scio, quia id vidi.

Iuxta 16 respondit: Non permisisse dictum Episcopum per haereticos retinere bona suorum beneficiorum; et scio ex causa cognitionis praedictae.

Iuxta 17 respondit: Dictum Episcopum nunquam habuisse nec habere familiam haereticam, aut familiarem consuetudinem cum illis; et scio, quia ipsum cognovi ut supra.

Iuxta 18 respondit: Nunquam dedisse aliquod scandalum circa fidem et mores nec circa alia; et scio ex praedicta cognitione.

Iuxta 19 respondit: Dictum Episcopum esse prudentem, maturi consilii et vitae exemplaris, aliasque habere qualitates requisitas, ita quod sit aptus ad defensionem iurisdictionis Ecclesiae Premisiensis et maioris dignitatis; et scio, quia versatus sum cum illo et cognosco eius qualitates in causa scientiae.

Deinde deventum fuit ad interrogatoria ut supra data, concernentia statum Ecclesiae Premisiensis, et prout:

Iuxta primum interrogatus respondit, quod Civitas Premisiensis est posita in Palatinatu Russiae Rubrae, et est amplissima Dioecesis et infinitum habet numerum animarum. Et est sub dominio Ser.mi Regis Poloniae in temporalibus; et scio, quia habeo Capitaneatum distantem a dicta Civitate circa tria millaria¹⁰, et sum de praedictis informatus.

Iuxta 2^m interrogatus respondit: In dicta Civitate adesse Ecclesiam Cathedram pulchrae structurae, sub [40r] invocatione Sancti Stanislai, nisi fallor; et scio ob causas praedictas, quia parum distat meum Capitaneatum [sic] a dicta Civitate, et sum informatus ut supra deposui, et nescio an indigeat reparatione.

Iuxta 3^m respondit: Adesse Sacrarium sacra suppellectili sufficienter or-

¹⁰ Maximilianus Przerębski ab a.1622 fungebatur munere capitanei Medicensis.

natum, Campanile cum campanis, Chorum, Organum, Coemiterium, aliaque pertinentia ad Cathedralem Ecclesiam; et scio ex cognitione ut supra.

Iuxta 4^m respondit: Adesse etiam reliquias Sanctorum, quae decenter asservantur; et scio ob praedictas causas.

Iuxta 5^m respondit: Adesse Dignitates et esse Canonicatus et alia beneficia ecclesiastica, et cultus divinus diligenter exercetur; et scio ex praedicta causa ut supra.

Iuxta 6 respondit: Prope dictam Ecclesiam adesse domum pro habitatione Episcopi et commoditatem pro Canonicis et aliis; et scio ex praedicta cognitione.

Iuxta 7 respondit: Se nescire, an in dicta Civitate sit Seminarium pro instruendis pueris.

Iuxta 8 respondit: Adesse Monasteria in dicta Civitate Patrum Societatis Iesu, Sancti Dominici et non recordari, an sint alia Monasteria; et scire, quia est informatus ut supra.

Iuxta 9 respondit: In dicta Ecclesia Cathedrali exerceri curam animarum et adesse fontem baptismalem, et hoc scire ex cognitione et quia est informatus ut supra.

Iuxta 10 respondit: Tantum scire, quantum supra deposituit.

Iuxta 11 respondit: Necire de redditibus dictae Ecclesiae.

Iuxta 12 respondit: Dictam Ecclesiam vacare seu vacaturam esse per translationem Episcopi Premisiensis ad Ecclesiam Luceoriensem¹¹ in causa scientiae.

Maximilianus de Przeranb, Castellanus Siradiensis, Regni Referendarius, Sacrae Regiae Maiestatis Supremus Aulae Praefectus, manu propria.

Tertius Testis super vita et moribus

Eisdem anno, mense, die, inductione et pontificatu quibus supra. Pro eodem contra quoscumque, fuit ubi supra, per quem supra, Ill.mus et Rev.mus D.nus **Nicolaus Seyszkovski**, Secretarius Regni Maior et Abbas Cervinensis¹², filius Ioannis ex Palatinatu [40v] Calisiae, equestris ordinis, aetatis suae annorum 37 incirca, testis inductus, cui reiterato iuramento de veritate dicenda, prout tactis etc. ad Sancta Dei Evangelia iuravit , dixit et pro veritate deposituit ut infra, videlicet:

Iuxta primum interrogatus respondit: Ego cognosco ab annis duodecim incirca in Aula Sacrae Regiae Maiestatis Poloniae Rev.mum D.num Adamum Novvodrovvski, Episcopum Camenecensem, qui venit ad Aulam occasione Comitiorum, et ego quoque interfui.

¹¹ Achatius Grochowski, epus Premisiensis, nominationem ad episcopatum Luceoriensem assecutus est m. Iulio a. 1627, cfr. N. 44.

¹² Nicolaus Szyzskowski fuit abbas Czerwinensis a. 1622-1632.

Iuxta 2^m respondit: Dictum Ill.um Episcopum esse oriundum ex Palatinatu Massoviae, et de legitimo matrimonio, ex parentibus nobilibus et catholicis natum, ita ab omnibus communiter reputatum; et scio etiam, quia habeo bona coniuncta cum ipso Rev.mo D.no Episcopo.

Iuxta 3^m respondit: Credere non esse dictum Episcopum doctorem in Sacra Theologia, sed scire esse doctum a dicto tempore annorum duodecim, quando ipse Rev.mus D.nus Episcopus venit ad Aulam occasione Comitiorum et residentiae, prout quoque ego fui.

Iuxta 4^m respondit: Ego cognovi dictum Episcopum a dicto tempore esse Episcopum, quia vidi ut supra.

Iuxta 5 respondit: Non detineri dictum Episcopum aliquo impedimento, quominus de Ecclesia Camenecensi possit transferri ad Ecclesiam Premisiensem, et si esset contrarium, quod deesset aliquod impedimentum, et scirem ob cognitionem, quam de illo habeo.

Iuxta 6 respondit: Esse integritate vitae, bonis moribus, pietate, prudentia et doctrina praeditum, ita ut mutari possit ad dictam Ecclesiam, et huiusmodi translationem fore profuturam praedictae Ecclesiae et eius gregi; et scio, quia ego cognovi eum a dicto tempore citra.

Iuxta 7^m respondit: Esse solitum frequentare Sacraenta et celebrare Missam; et scio ut supra ob cognitionem de eo habitam et quia vidi.

Iuxta 8 respondit: Esse verum Catholicum, nulla haeresi suspectum, bonae conscientiae, honoris divini et proximi salutis zelantem; et scio ex cognitione ut supra.

[41r] Iuxta 9 respondit: Esse bonae conscientiae, vitae, famae et conversationis; et scio ut supra .

Iuxta 10 respondit: Non esse coniugatum nec fuisse, et si fuisset, scirem ex supradicta causa cognitionis.

Iuxta 11 respondit: Non fuisse ei aliquid imputatum in Iudicio, et extra, de re contra vitam, mores et fidem, nec de alio, et si esset, scirem ex cognitione praedicta.

Iuxta 12 respondit: Tantum scire, quantum supra deposituit [...] dictum Episcopum esse doctum et pollere ea doctrina in simili Episcopo requisita, ut alios possit docere; et scio ex causa praedicta.

Iuxta 13 respondit: Habuisse et habere modo dictum Episcopum Abbatiam Premetensem et in illius gubernio se gessisse prudenter, et cum sciam et ut talem cognovi ut supra, et omnibus est notum.

Iuxta 14 respondit: Dictum Episcopatum requirere residentiam, ut omnibus est notum, et circa alia beneficia nescire.

Iuxta 15 respondit: Scio resedissem dictum Episcopum in Episcopatu, salvis Comitiis et residentia ad Aulam; et scio ex causa praedicta.

Iuxta 16 respondit: Non permisisse dictum Ill.um Episcopum per haereticos detineri bona suorum beneficiorum, quia si permisisset, scivissem per cognitionem ut supra.

Iuxta 17 respondit: Non habuisse nec habere familiaritatem cum haereticis nec familiam haereticam, et si habuisset, scirem ex causa praedictae cognitionis.

Iuxta 18 respondit: Nec dedisse aliquod scandalum circa fidem et mores; et scio ex praedicta causa cognitionis.

Iuxta 19 respondit: Dictum Episcopum fuisse et esse prudentem, maturi consilii, vitae exemplaris, aliasque habuisse et habere qualitates, ita ut sit aptus non solum ad dictum Episcopatum, sed ad maiores dignitates; et scio ex cognitione ut supra in causa scientiae.

Nicolaus Szyszkovski, Secretarius Sacrae Regiae Maiestatis, ita deposui pro veritate, ut supra, propria manu.

[41v] Quartus Testis super vita et moribus

Eisdem anno, indictione, mense, indictione, pontificatu ac die quibus supra. Pro eodem, contra eosdem, fuit ubi supra et per quem supra, Ill.mus et Generosus D.nus **Christophorus Brzozovschi**, Notarius Terrae Bielsensis, Aulicus Sacrae Regiae Maiestatis, aetatis suae annorum 46 incirca, testis inductus, cui reiterato iuramento de veritate dicenda, prout tactis etc. iuravit, dixit et depositus, prout infra, videlicet:

Iuxta primum interrogatus respondit: Ego cognosco Rev.mum D.num Adamum, Episcopum Camenecensem, iam sunt viginti anni et plus in Academia Cracoviensi, ubi insimul studebamus, deinde cognovi hic in Varsovia.

Iuxta 2 respondit: Scio dictum Episcopum esse natum in Dioecesi Plovensi, in loco dicto Nouoduorr, de legitimo matrimonio et ex parentibus nobilibus et catholicis, quia ab omnibus publice, tam Cracoviae quam hic in Curia Regis, et per totum Regni [sic] fuit habitus et modo habetur, et ego cognovi quoque per alios eius fratres.

Iuxta 3^m respondit: Nescio, an dictus Episcopus habuit insignia doctoratus, sed bene scio illum studuisse, ut supra, et esse virum doctum, prout ab omnibus est requisitus.

Iuxta 4^m respondit: Dictum Episcopum fuisse Praelatum, ab decem annis et ultra fuisse Episcopum et pluries Missam illius audivi.

Iuxta 5 respondit: Dictum Episcopum nullum habere impedimentum, quod non possit mutari et transferri de Ecclesia Cathedrali Camenecensi ad Ecclesiam Premisiensem, et si haberet, scirem ex praedicta causa.

Iuxta 6 respondit: Dictum Episcopum esse vitae integritate, bonis moribus, pietate, prudentia et doctrina praeditum, ita ut merito videatur transferri posse ut supra, et huiusmodi vero translationem fore profuturam dictae Ecclesiae eiusque gregi; et scio propter longam conversationem cum eo habitam, ut supra deposui.

[42r] Iuxta 7^m respondit: Scio dictum Episcopum esse solitum Missam

celebrare et Sacra menta frequentare, et quia vidi ut supra.

Iuxta 8 respondit: Ipsum esse et fuisse semper verum Catholicum et in Fidei puritate permansisse, nec ulla unquam haeresi suspectum fuisse, timoratae conscientiae, divini honoris et proximi salutis zelantem; et scio ex praedicta causa cognitionis.

Iuxta 9 respondit: Esse dictum et fuisse innocentia vitae, bonae famae et conversationis; et scio per conversationem cum eo ut supra.

Iuxta 10 respondit: Non fuisse coniugatum nec bigamum, et si esset, sci rem ex praedicta causa cognitionis

Iuxta 11 respondit: Scio dictum Episcopum non esse in aliquo imputatum de re contra vitam, mores et fidem catholicam in Iudicio, nec extra, ob causas praedictas et nec etiam audivi.

Iuxta 12 respondit: Dictum Episcopum esse doctum, ut supra deposui, et pollere ea doctrina in similibus episcopis requisita, ut possit alios docere; et scio per proxim cum eo habitam ut supra.

Iuxta 13 respondit: Habuisse et habere dictum Episcopum Abbatiam Premetensem et in ea se exercuisse cum prudentia et doctrina, ut omnibus est notum; et scio ob praedictam causam cognitionis de eo habitam.

Iuxta 14 respondit: Nescire dicta beneficia esse incompatibilia et requirere residentiam, salvo Episcopatu.

Iuxta 15 respondit: Semper reseditte in loco requirente residentiam, exceptis temporibus Comitiorum, invasionis Tartarorum et residentiae ad Aulam; et id ut supra scio.

Iuxta 16 respondit: Dictum Episcopum nunquam permisisse per haereticos detinere bona suorum beneficiorum, quia si hoc fuisset, sci rem per conversationem per hoc tempus cum eo habitam.

Iuxta 17 respondit: Non habere nec habuisse consuetudinem cum haereticis nec familiam haereticam, et si contrarium esset, sci rem ob causam praedictam pratica cum eo habita.

Iuxta 18 respondit: Nunquam dedisse scandalum circa fidem et mores, imo oppositum, quia fuit semper vitae exemplaris; et scio per proxim cum eo habitam.

Iuxta 19 respondit: Ego cognovi dictum Episcopum esse prudentem, maturi consilii, vitae exemplaris, aliasque [42v] habere qualitates requisitas ad iurisdictionem praedictam, imo et ad maiorem, et cognovi a dicto tempore ut supra deposui in causa scientiae.

Deinde deventum fuit ad interrogatoria, ut supra data, super statu Ecclesiae et:

Iuxta primum respondit: Civitatem Premisiensem esse sitam in Palatinatu Russiae, iurisdictionis Ser.mi Regis Poloniae in temporalibus, et habere amplitudinem et magnum numerum animarum, et hoc scire de auditu.

Iuxta 2^m usque ad duodecimum respondit scire de auditu.

Christophorus Brzozoscki, Notarius Terrae Bielsensis, Aulicus Sacrae Regiae Maiestatis, manu propria.

Quintus Testis

Eisdem anno [a] nativitate, mense, inductione, pontificatu quibus supra, die vero duodecima, pro eodem, contra eosdem, fuit ubi supra et per quem supra, Ill.mus et Rev.mus D.nus **Stanislaus Lubinski**, Episcopus Luceo-riensis, aetatis suae annorum 54 incirca, testis inductus, cui reiterato iuramento de veritate dicenda, super interrogatoriis ut supra datis, prout tacto pectore more Praelatorum iuravit, dixit et pro veritate depositus ut infra, et primo:

Iuxta primum interrogatus respondit: Ego cognosco dictum Ill.mum D.num Episcopum Camenecensem ab annis viginti Gnesnae et alibi, quia ipse Rev.mus D.nus Episcopus Camenecensis erat Canonicus Gnesnensis et ego Praepositus, et deinde in Aula Ser.mi Regis Poloniae.

Iuxta 2 respondit: Dictum Rev.mum Episcopum esse oriundum ex Dioecesi Plocensi, de legitimo matrimonio, e catholicis et nobilibus parentibus natum, et esse aetatis annorum 54, et de hoc patet omnibus; et scio ex causa cognitionis praedicta.

Iuxta 3 respondit: Nescire ipsum esse Magistrum Sacrae Theologiae, sive in Iure Canonico, sed bene habere sufficientem doctrinam ad Episcopatum; et scio ex praedicta causa cognitionis.

Iuxta 4 respondit: Ab annis viginti dictum Episcopum esse Presbiterum, et ab annis decem esse Episcopum.

Iuxta 5 respondit: Non detineri dictum Episcopum aliquo impedimento, quod non possit transferri de eius Episcopatu ad Episcopatum Premisliensem; et scio per cognitionem et proxim cum eo habitam.

[43r] Iuxta 6 respondit: Dictum Episcopum esse integritate vitae, bonis moribus, pietate, doctrina et prudentia [praeditum], ita ut videatur mutari posse ut supra, eiusque translationem huiusmodi profuturam praedictae Ecclesiae eiusque gregi; et scio per cognitionem et proxim cum eo habitam.

Iuxta 7^m respondit: Esse solitum quoque dictum Episcopum frequentare Sacraenta, Missam celebrare; scire, quia vidit illum id facere, tam in Civitate Gnesnensi, quam in Aula Sacrae Regiae Maiestatis Poloniae.

Iuxta 8 respondit: Dictum Episcopum Camenecensem fuisse et esse verum Catholicum et in Fidei Catholicae puritate permansisse, nec ulla unquam haeresi suspectum fuisse, imo fuisse semper timoratae conscientiae, divini honoris et proximi salutis zelantem; et scio per proxim ut supra cum eo habitam.

Iuxta 9 respondit: Esse dictum innocentia vitae, bonae famae, conversationis; et pariter scio ut supra ex causa deposita.

Iuxta 10 respondit: Non fuisse coniugatum ergo nec bigamum; et scio ut supra deposui.

Iuxta 11 respondit: Non fuisse eidem Episcopo aliquid imputatum in Iudicio et extra de re contra vitam, mores et Fidem Catholicam, nec in alio; et id ut supra scio per praxim et longam conversationem cum eo habitam.

Iuxta 12 respondit: Tantum scire, quantum supra depositus, et audivisse dictum Rev.mum Episcopum studuisse Romae et esse scientia praeditum in Episcopo requisita, ut possit alios docere; et scire ex causa cognitionis predicta.

Iuxta 13 respondit: Scire ex causa predicta dictum Episcopum habuisse et habere Abbatiam Premetensem, quae non est de residentia, in qua se exercuit cum omni doctrina et prudentia, ut omnibus est notum.

Iuxta 14 respondit: Scire tantum, quantum supra depositus.

Iuxta 15 respondit: Semper resedisse in loco Cathedrali Ecclesiae [...] Episcopatu residentiam requirente, exceptis temporibus Comitiorum et quando debebat esse in Aula; et scio ut supra quia vidi.

Iuxta 16 respondit: Non permisisse per haereticos detinere bona suorum beneficiorum, et scire per praxim et cognitionem de eo habitam ut supra.

[43v] Iuxta 17 respondit: Nescio ipsum Episcopum habere familiam haereticam, aut familiarem consuetudinem cum illis, quam si habuisset, scirem per cognitionem ut supra de eo habitam.

Iuxta 18 respondit: Nescire ipsum Ill.mum D.num Episcopum Camencensem dedisse aliquod scandalum, tam circa fidem quam circa mores; et scire, si dedisset, ex predicta causa cognitionis et practica.

Iuxta 19 respondit: Dictum Episcopum esse prudentem, maturi consilii et vitae exemplaris, et habere qualitates requisitas ad defensionem iurisdictionis Ecclesiae Premisiensis, ut digne promoveri posse videatur, etiam ad maiores dignitates; et scio per cognitionem et praxim cum eo habitam ut supra.

Deinde deventum fuit ad interrogatoria super statu Ecclesiae, et primo:

Iuxta primum interrogatus respondit: Civitatem Premisiensem esse sitam in districtu Leopoliensi, Provinciae Russiae, et esse satis amplam, et habere magnum numerum animarum, et habet Episcopum Graecum Unitum, et esse sub dominio Ser.mi Regis; et scire, quia id vidit.

Iuxta 2 respondit: Adesse Ecclesiam Cathedralem et non recordari sub qua invocatione, et est satis ampla et pulchrae structurae; et scire ex causa ut supra quia vidit, et modo nescire an indigeat aliqua reparacione.

Iuxta 3^m respondit: Adesse Sacrum sacris suppellectilibus sufficienter ornatum, Campanile cum campanis, Chorum, Coemiterium, Organum, et alia ad Ecclesiam Cathedralem necessaria; et scio ut supra, quia ibi fui et vedi.

Iuxta 4^m respondit: Adesse pariter reliquias Sanctorum, quorum nume-

rum non recordor, et decenter servantur; et scio, quia fui et vidi ut supra.

Iuxta 5 respondit: Adesse Dignitates, Canonicatus et alia beneficia, et cultus divinus in ea exercetur diligenter; et scio ex causa qua supra.

Iuxta 6 respondit: Adesse prope dictam Ecclesiam domum pro habitatione Episcopi, et scit quia vidit a multis annis, et nescit an indigeat modo reparatione.

Iuxta 7 respondit: Non habere Seminarium puerorum instruendorum, sed tantum adesse [44r] Patres Societatis Iesu, et non adesse Monasteria Monialium, sed Monasterium dictorum Patrum Societatis Iesu et alia Monasteria; et scio, quia vidi, sed non recordor quaenam Monasteria sint.

Iuxta 8 respondit: Tantum scire, quantum supra depositum.

Iuxta 9 respondit: Non recordare, an in dicta Ecclesia Cathedrali vel in aliqua alia exerceatur cura animarum, sed scire exerceri et adesse fontem baptismalem.

Iuxta 10 respondit: Dioecesim Premisliensem esse amplam et multa oppida continere; et scio ut supra.

Iuxta 11 respondit: Potest habere dicta mensa episcopalibus decem millia florenos in annuis redditibus, nec est aliqua pensione gravata; et scio ex causa ut supra deposita, quia ibi fui et sum de praedictis informatus.

Iuxta 12 respondit: Ecclesiam Premisliensem esse vacantem seu vacaturam per translationem Ill.mi et Rev.mi D.ni Achatii Grochoski, Episcopi Premisliensis, ad Ecclesiam Luceoriensem, si Ss.mo Domino N.ro placuerit, in causa scientiae.

Stanislaus Lubienski, Episcopus Luceoriensis, nominatus Plocensis.

Sextus Testis super vita et moribus

Eisdem anno, indictione, mense, nativitate, pontificatu quibus supra, die vero decima tertia. Pro eodem, contra eosdem, fuit ubi supra et per quem supra, Ill.mus D.nus **Nicolaus de Podhayce Wolski**, filius bonaem memoriae Stanislai, Castellani Sanocensis¹³, ex Provincia Masoviae, Marschalcus Regni Poloniae Supremus, aetatis suae annorum^{a)}, testis inductus, cui reiterato iuramento de veritate dicenda, prout tactis etc. ad Sancta Dei Evangelia iuravit, dixit et pro veritate depositus prout infra, videlicet:

Iuxta primum interrogatus respondit: Ego cognosco dictum Episcopum Camenecensem occasione, qua fuit in Aula Ser.mi Regis ab annis quindecim incirca, et quo tempore versatus sum cum illo.

[44v] Iuxta 2^m respondit: Dictum Episcopum Camenecensem esse oriundum ex Massovia, natum de legitimo matrimonio, ex catholicis et nobilibus

¹³ Stanislaus de Podhajce Wolski (†1566), castellanus Ravensis a. 1563-1565, marescalcus aulae regiae a. 1564-1566, castellanus Sandomiriensis (non Sanocensis, sicut perperam scriptum est) ab a. 1565.

parentibus fuisse, prout ita ab omnibus est reputatus.

Iuxta 3 respondit: Nescire esse doctorem, sed habere scientiam et doctrinam sufficientem ad Episcopatum; et scio ex qua supra causa.

Iuxta 4 respondit: Non recordari, a quanto tempore dictus Rev.mus Episcopos sit Presbiter et a quo tempore sit Episcopus.

Iuxta 5 respondit: Nullo impedimento detineri dictum Episcopum, quod non transferri possit de Ecclesia Camenecensi ad Ecclesiam Premisliensem; et scio ut supra.

Iuxta 6 respondit: Esse integritate vitae, bonis moribus, pietate, prudentia et doctrina praeditum, ita ut merito videatur posse transferri, et huiusmodi translationem fore profuturam Ecclesiae Premisliensi eiusque gregi; et ut supra scio.

Iuxta 7 respondit: Dictum Episcopum esse solitum frequentare Sacra-menta et celebrare Missam; et scio, quia id vidi.

Iuxta 8 respondit: Fuisse et esse verum Catholicum et in fidei puritate permansisse, nec ulla unquam haeresi suspectum fuisse, item timoratae conscientiae, zelantem salutis proximi et divini honoris; et scio, quia vidi et pro tali ab omnibus est reputatus.

Iuxta 9 respondit: Esse dictum innocentia vitae, bona famae et conver-sationis; et scio ut supra.

Iuxta 10 respondit: Non fuisse coniugatum nec bigamum; et id ut supra scio.

Iuxta 11 respondit: nescire fuisse imputatum in aliquo contra bonos mo- res, vitam et Fidem Catholicam dictum Episcopum; et si esset imputatus, scirem ex causa praedicta.

Iuxta 12 respondit: Nescire dictum Episcopum studuisse in aliquo Generali Studio et Universitate, sed scire pollere ea doctrina, quae in Episcopo requiritur, ut eandem alios docere possit, et scire ex causa superius exposita.

Iuxta 13 respondit: Scire dictum Episcopum habuisse et habere Abba-tiam Premetensem, et in ea se gessisse cum omni prudentia et doctrina, ut [45r] omnibus est notum; et scio, quia versatus sum cum illo, ut supra de-posui.

Iuxta 14 respondit: Dictum Episcopatum requirere residentiam, ut no-tum est omnibus, quoad vero Abbatiam nescire.

Iuxta 15 respondit: Resedisse in eius Episcopatu et Abbatia, exceptis temporibus Comitiorum, incursionis Tartarorum et residentiae in Aula Ser.mi Regis Poloniae; et scio, quia versatus sum cum illo, ut supra dixi.

Iuxta 16 respondit: Nunquam permisisse, per haereticos detineri bona suorum beneficiorum, et si permisisset, scirem ex causa praedicta.

Iuxta 17 respondit: Ipsum Episcopum non habere familiam haereticam, nec familiaritatem cum illis haereticis, ut scio ut supra.

Iuxta 18 respondit: Nunquam audivisse nec scivisse dictum Episcopum

aliquid scandalum circa Fidem Catholicam et bonos mores dedisse; et si contrarium esset, scirem ex causa praedicta.

Iuxta 19 respondit: Dictum Episcopum esse prudentem, maturi consilii, vitae exemplaris, et habere qualitates requisitas, ita ut digne mutari possit ad dictam Ecclesiam, et maiores dignitates; et scio, quia versatus sum cum ipso et cognosco eius qualitates in causa scientiae.

Septimus Testis super vita et moribus

Eisdem anno, indictione, mense, nativitate, pontificatu quibus supra, die vero decima quarta, pro eodem, contra eosdem, fuit ubi supra et per quem supra, Generosus D.nus **Gregorius**, filius Sebastiani, Notarii Terrae Lancicensis¹⁴, **Dunin**, Dapifer Terrae Ravensis, aetatis suae annorum 53 incirca, testis inductus, cui reiterato iuramento de veritate dicenda, prout tacitis etc. iuravit, dixit et depositus prout infra videlicet, et primo:

Iuxta primum interrogatus respondit: Ego cognosco Ill.mum D.num Adamum Novvodrovski, ab annis 30 incirca, in curia Sacrae Regiae Maiestatis Poloniae moderni pro [45v] cubiculario, et tunc temporis ego inserviebam Ser.mae Reginae Annae Poloniae, et sic continue versabamur inter nos et usquequo versati sumus.

Iuxta 2^m respondit: Scio dictum Ill.mum Episcopum esse oriundum ex Palatinatu Massoviae, et natum de legitimo matrimonio, ex catholicis et nobilibus parentibus, et esse aetatis annorum 51 incirca; et scio, quia sum vicinus ipsius et ex dicta vicinitate et praxi cum eo habita.

Iuxta 3^m respondit: Scio ipsum esse doctorem seu magistrum in Sacra Theologia, quia ipse fuit Praesbiter Societatis Iesu, in qua diu stetit et semper studiis incubuit, et ego vidi studere ipsum in Collegio Boltoviensi¹⁵, et postea rediit ad servitium Sacrae Regiae Maiestatis Suae.

Iuxta 4^m respondit: Scio ipsum esse Presbiterum et Episcopum, ex causa praedicta, quia versatus sum ut supra.

Iuxta 5 respondit: Nescio, quod sit astrictus aliquo impedimento, et si esset, scirem ex causa conversationis praedictae, ita quod possit mutari de Ecclesia Camenecensi ad Ecclesiam Premisliensem.

Iuxta 6 respondit: Dictum Episcopum esse integritate vitae, moribus bonis, pietate, prudentia et doctrina praeditum, ita quod ad dictam Ecclesiam transferri posse videatur, et huiusmodi translationem profuturam fore dictae Ecclesiae Premisliensi eiusque gregi; et scio ex continua conversatione cum eo habita.

Iuxta 7^m respondit: Dictum Ill.mum D.num Episcopum Camenecensem esse solitum frequentare Sacraenta et Missam Sacram celebrare; et scio,

¹⁴ Sebastianus de Ujazd Dunin (†1586), notarius terrae Lanciensis ab a. 1556.

¹⁵ Agitur de collegio Pultoviensi (Pułtusk).

quia vidi hic Varsoviae.

Iuxta 8 respondit: Ipsum Episcopum fuisse et esse verum Catholicum et in Fidei Catholicae puritate permansisse, nec ulla unquam haeresi suspectum fuisse, imo fuisse semper timoratae conscientiae, divini honoris et proximi salutis zelantem; et scio ut supra.

Iuxta 9 respondit: Esse etiam innocentia vitae, bonae famae et conversationis; et scio ut supra.

Iuxta 10 respondit: Non fuisse coniugatum nec bigamum, et si esset vel fuisset, scirem ex causa praedicta.

[46r] Iuxta 11^m respondit: Nec dictum Episcopum fuisse imputatum in Iudicio, vel extra, in aliquo contra vitam, mores et Fidem Catholicam, et si esset, scirem ex praedicta causa cognitionis de eo.

Iuxta 12 respondit: Tantum scire, quantum supra depositum, et dictum esse dignum non solam, ut supra deposui, sed maiores dignitates.

Iuxta 13 respondit: Habuisse Abbatiam et Episcopatum, in quibus resedisse, salvis certis temporibus Comitiorum, et in eis se exercuisse cum omni prudentia et doctrina, et ut supra scio.

Iuxta 14 respondit: Dicta beneficia nescire esse incompatibilia, sed in illis resedisse; et scio ex causa ut supra deposita.

Iuxta 15 respondit: Resedisse, ut supra deposui, excepto tempore Comitiorum et residentiae ad Aulam.

Iuxta 16 respondit: Nescire dictum Episcopum permisisse per haereticos detineri bona sua, et si permisisset, sciret, ex praedicta causa conversationis per tot temporis spatium, imo ipse est contrarius dictis haereticis; et scire ex praedicta causa.

Iuxta 17 respondit: Non habuisse nec habere familiaritatem cum dictis haereticis; et scio ut supra.

Iuxta 18 respondit: Non dedisse aliquod scandalum, nec circa fidem, nec circa mores, et si dedisset, scirem ex causa praedicta.

Iuxta 19 respondit: Fuisse et esse dictum Episcopum prudentem, maturi consilii et vitae exemplaris, et habere qualitates requisitas, ita quod reddit se aptum ad defensionem iurisdictionis dictae Ecclesiae, imo ad maiorem dignitatem; et scio ex praedicta causa et quia cognosco eius qualitates per conversationem, ut supra deposui in causa scientiae.

Octavus Testis super vita et moribus

Eisdem anno, inductione, mense, die, nativitate et pontificatu quibus supra, pro eodem, contra eosdem, fuit ubi supra et per quem supra, Generosus D.nus **Sigismundus Kazanovscki**, Capitaneus Aptenhausensis, filius Martini de Casanovv in Palatinatu Sandomiriensi, aetatis suae annorum 60, testis inductus, cui reiterato iuramento de [46v] veritate dicenda, prout tactis etc. iuravit, dixit et depositum, prout infra, videlicet:

Iuxta primum respondit: Ego bene cognosco ab annis 20 dictum Ill.mum D.num Episcopum Camenecensem, quia insimul fuimus in servitiis Sacrae Regiae Maiestatis Poloniae.

Iuxta 2^m respondit: Scio, quod sit oriundus ex Masovia et natus dictus Episcopus de legitimo matrimonio et de catholicis et nobilibus parentibus, aetatis suae annorum 53 vel 54 incirca; et scio, quia versatus sum cum illo ut supra.

Iuxta 3^m respondit: Nescio, quod dictus Episcopus sit doctor, sed bene scio ipsum Episcopum esse doctum, ex causis ut supra.

Iuxta 4^m respondit: Semper cognovisse sacerdotem dictum Episcopum, et Episcopum ab annis 13 incirca.

Iuxta 5 respondit: Eundem Episcopum non detineri aliquo impedimento, ut de Ecclesia Camenecensi ad Ecclesiam Premisiensem transmitti non possit; et scio ex praedicta causa ut supra deposita.

Iuxta 6 respondit: Esse dictum Episcopum integritate vitae, bonis moribus, pietate, prudentia et doctrina praeditum, ita ut merito videatur posse transferri ad dictam Ecclesiam, et translationem huiusmodi fore profuturam Ecclesiae Praemisiensi et eius gregi; et scio per cognitionem ut supra.

Iuxta 7 respondit: Ipsum Ill.mum D.num Adamum Episcopum Camenecensem esse solitum Sacraenta frequentare ac Missam celebrare, quia id vidi, tam in Masovia, quam hic in Varsavia.

Iuxta 8 respondit: Dictum Episcopum fuisse et esse verum Catholicum et in Fidei Catholicae puritate permansisse, nec ulla unquam haeresi suspectum fuisse, imo fuisse timoratae conscientiae, divini honoris et proximi salutis zelantem; et scio, quia ita audivi et vidi.

Iuxta 9 respondit: Ipsum esse innocentia vitae, bonae famae; et scio quia vidi ut supra.

Iuxta 10 respondit: Non fuisse coniugatum; et scio ut supra.

Iuxta 11 respondit: Non fuisse aliquid ei imputatum in Iudicio et extra de Fide Catholica et bonis moribus; et scio [ex] causa ut supra.

Iuxta 12 respondit: Tantum scire, quantum supra deposituit, et studuisse dictum Episcopum apud [47r] Patres Societatis Iesu a teneris annis, et habere, ut credo et scio, sufficientem scientiam, quae requiritur in simili Episcopo; et scio ex causa ut supra.

Iuxta 13 respondit: Habuisse dictum Episcopum Abbatiam Premetensem et Canonicatum Loviciensem, quam Abbatiam modo retinet, et in illis se exercuisse cum doctrina et prudentia et regimine ut decet Episcopos; et scio ex causa superius dicta.

Iuxta 14 respondit: Tantum scire, quantum supra deposituit.

Iuxta 15 respondit: Ipsum resedisce certis temporibus in eius Ecclesia, certis vero non, scilicet tempore Comitiorum, incursionis Tartarorum et residentiae ad Aulam; et scio ut supra.

Iuxta 16 respondit: Nescire fecisse ipsum retinere bona sua per haereti-

cos, quia est illis contrarius; et scio ex causa superius dicta.

Iuxta 17 respondit: Nec habuisse familiam haereticam, nec familiaritatem cum illis, quia illos persequitur; et scio ut supra.

Iuxta 18 respondit: Nec dedisse aliquod scandalum circa fidem et mores, et id ut supra scio, quia versatus sum cum illo.

Iuxta 19 respondit: Esse dictum Episcopum prudentem, maturi consilii et vitae exemplaris, et habere alias qualitates ad defensionem iurisdictionis Ecclesiae Premisiensis, ita ut ad illam de Ecclesia Camenecensi transferri possit; et scio per conversationem diu cum eo habitam in causa scientiae.

Nonus Testis super statu Ecclesiae

Eisdem anno, mense, indictione, die et pontificatu quibus supra, pro eodem, contra eosdem, fuit ubi supra et per quem supra, adm. Rev.dus D.nus **Zaccharias Szyski**, filius Melchioris, ex districtu Premisiensi et Palatinatu Russiae, aetatis suae annorum 26, testis inductus, cui reiterato iuramento de [47v] veritate dicenda, prout tactis etc. iuravit et dixit et depositum prout infra, videlicet super interrogatoriis statum Ecclesiae Premisiensis concernentibus, omnibus aliis, super quibus fecerunt satis supradicti testes, examinatis pro veritate, ut supra, et primo:

Iuxta primum interrogatus respondit: Civitas Premisiensis est sita in Provincia Russiae, prope flumen Sanum, est Civitas ampla et numerus animarum Catholicorum Latinorum est trium millium incirca, et subiacet domino in temporalibus Ser.mi Regis Poloniae.

Iuxta 2^m respondit: Adesse in dicta Civitate Cathedralem Ecclesiam sub invocatione Sancti Ioannis Baptista, muris constructam et satis amplam, nec indigere aliqua reparatione nisi ordinaria; et scio, quia permansi in dicta Civitate per sex menses, iam sunt duo anni, et pluries fui in dictis duobus annis, cum mea patria distet tantum a dicta Civitate per septem milliaria.

Iuxta 3 respondit: Adesse Sacrarium in dicta Cathedrali Ecclesia sacra suppellecili sufficienter ornatum, Campanile cum campanis, Chorum, Organum, Coemiterium et alia ad Ecclesiam Cathedralem necessaria; et scio, quia vidi ut supra.

Iuxta 4 respondit: Adesse etiam reliquias Sanctorum decenter servatas in reliquiariis argenteis; et scio, quia saepius vidi.

Iuxta 5 respondit: Adesse quoque dignitates, videlicet Decanatum, Praeposituram, Cantoriam, Archidiaconatum et Custodiam, et post pontificalem est Decanatus. Adesse quoque Canonicos. Sunt etiam Vicarii Canonicorum, qui serviunt ad canendum. Sunt Altaristae et Mansionarii, qui semper canunt Officium Beatae Mariae Virginis et Missam; et scio, quia fui et vidi ut supra.

Iuxta 6 respondit: Adesse domum prope Ecclesiam Cathedralem pro habitatione dicti [48r] Episcopi et Canonicorum, nec indigere reparatione aliqua nisi ordinaria; et scio ex causa praedicta.

Iuxta 7 respondit: Adhuc non esse Seminarium puerorum, sed esse Scholam Parrochiale pro instruendis pueris, et esse Monasterium Monialium sub regimine Rev.dorum Fratrum Ordinis Praedicatorum. Adesse etiam residentiam Patrum Societatis Iesu, Monasterium Fratrum Ordinis Praedicatorum, Monasterium Sancti Francisci Conventualium et Discalceatorum, et Hospitale, et unam Confraternitatem Ss.mi Corporis Christi laicorum in Ecclesia Cathedrali; et scio, quia vidi ut supra.

Iuxta 8 respondit: Tantum scire, quantum supra deposituit.

Iuxta 9 respondit: Curam animarum exerceri in Ecclesia Cathedrali, quae cura est penes ipsos Vicarios, et sunt quoque Moniales Sancti Benedicti versus flumen Sanum, quod modo construitur; nec ibi adsunt aliae Ecclesiae Parrochiales; et solum in Cathedrali est fons baptismalis; et scio ex causa qua supra.

Iuxta 10 respondit: Dioecesim Premisiensem esse milliarium Polonorum per longitudinem 40, et continere in se oppida et loca, et praesertim Jaroslaviam, in quo oppido est Ecclesia Collegiata sub regimine Ill.mae Ducsoniae Ostrogoviae¹⁶; et scio ut supra, quia fui et vidi.

Iuxta 11 respondit: Redditus dictae mensae episcopalnis temporibus calamitatis possunt esse octo mille [sic] floreni incirca, tempore vero felici possunt esse 12 mille [sic] floreni incirca, nec scio esse pensione gravata cum reliquis; scio, quia fui et vidi, ut supra deposui.

Iuxta 12 respondit: Ecclesiam Premisiensem vacare seu vacaturam esse per translationem ad Episcopatum Luceoriensem Ill.mi et Rev.mi D.ni Achatii illius Episcopi; et scio, [48v] quia ego ipse Episcopo Premisiensi inservivi in causa scientiae.

Et ita pro veritate deposui ego, Zaccharias Novvoskiscki, manu propria.

[Decimus Testis super statu Ecclesiae]

Eisdem anno, inductione, mense, die et pontificatu quibus supra, pro eodem, contra eosdem, fuit ubi supra et per quem supra, Venerabilis **Adamus Kominiescki**, clericus notarius, filius bonae memoriae Nicolai de Dioecesi Cracoviensi, aetatis suaे annorum 37 incirca, testis inductus, cui pariter reiterato iuramento de veritate dicenda, super interrogatoriis concernentibus statum Ecclesiae Premisiensis omissis aliis, super quibus fuerunt satis super examinati alii testes, prout tactis etc. iuravit, dixit et depositus pro veritate prout infra videlicet, et primo:

¹⁶ Anna ex stirpe Ostrogiorum (Ostrogski) Chodkiewicz (1600-1654), filia Alexandri Ostrogski (†1603), heres magnae fortunae, praeter alia possidebat Jaroslaviam (Jarosław), ab a. 1620 uxor Ioannis Caroli Chodkiewicz (†1621).

Iuxta primum respondit: Ecclesia Premisliensis sive Civitas Premisliensis est sita in partibus Russiae, est ampla per triginta millaria, et nescire numerum animarum, qui est infinitus, et subiacet in temporalibus dominio Ser.mi Regis Poloniae, et scire eo, quia fuit in dicta Civitate per decem annos continuos ad servitium ipsius Ecclesiae Premisliensis, scilicet ab anno 1607 usque ad 1616.

Iuxta 2 respondit: In Civitate Premisliensi esse Ecclesiam Cathedralem sub invocatione Sancti Ioannis Baptistae, satis pulchrae structurae, satis capacem et amplitudinis, et non indigere aliqua reparatione nisi ordinaria; et scio, quia fui et vidi ut supra.

Iuxta 3 respondit: In dicta Ecclesia adesse Sacrarium sacris suppellectilibus sufficienter ornatum, Campanile cum campanis, Chorum, Organum, Coemiterium et alia ad Ecclesiam Cathedralem necessaria et requisita; et scio, quia fui et vidi ut supra.

Iuxta 4 respondit: Adesse reliquias Sanctorum, quorum numerum nescire, et decenter [49r] asservantur; et scio ex praedicta causa ut supra, quia fui et vidi.

Iuxta 5 respondit: Decanatum esse primam dignitatem post pontificalem. Adesse quoque alias dignitates: Praeposituram, Archidiaconatum, Custodiam, Canonicatus Vicarios curam habentes animarum, et suo tempore orant, seu et diligenter exercetur cultus divinus. Sunt etiam sex mansionarii. Et scio ex causa praedicta.

Iuxta 6 respondit: Adesse prope dictam Ecclesiam Cathedralem domum pro habitatione Episcopi et Canonicorum, nec indigere illo tempore reparatione; et scio ut supra.

Iuxta 7 respondit: Non fuisse Seminarium tunc temporis, modo adesse Monasterium Patrum Sancti Francisci Conventualium et Monialium Sanctae Catherinae, vulgo nuncupatarum Sancti Dominici, et adesse Monasterium Patrum Sancti Dominici Ordinis Praedicatorum; et scio ut supra.

Iuxta 8 respondit: Tantum scire, quantum supra depositum, et adesse Confraternitatem Ss.mi Corporis Christi laicorum et Hospitale Ecclesiae Sancti Spiritus, et scire causa qua supra.

Iuxta 9 respondit: Exerceri curam animarum in dicta Ecclesia Cathedrali per Vicarios, nec esse alias Ecclesias Parrochiales, et ibi adest fons baptismalis; et scio ut supra.

Iuxta 10 respondit: Dioecesim Premisliensem esse amplam et nescio quot oppida in se contineat, reliqua scire ut supra.

Iuxta 11 respondit: Redditus mensae episcopalis possunt esse florenorum 12 millia et plus et minus; et scio ut supra.

Iuxta 12 respondit: Ecclesiam vacare seu vacaturam esse per translatiōnē Ill.mi et Rev.mi D.ni Achatii Grochoski de dicta Ecclesia Premisliensi ad Ecclesiam Luceoriensem in causa scientiae.

Et ita pro veritate deposui ego, Adamus Komoniowski, manu propria.

[Iuramentum]

Eisdem anno, indictione, mense, pontificatu quibus supra, die vero decima quinta. Praesens personaliter existens Ill.mus et Rev.mus D.nus Adamus Novvodrovvski, Episcopus [49v] Camenecensis, Abbas Premetensis, coram Ill.mo et Rev.mo D.no Antonio Sancta Crucio, Archiepiscopo Seleuciensi et in hoc amplissimo Poloniae Regno cum facultatibus Legati de latere Nuntio Apostolico, meque Notario Publico et Cancellario infrascripto, et stante processu ut supra fabricato, prout etiam institit se admitti ad praestationem iuramenti professionis fidei, prout dictus Ill.mus D.nus Nuntius Apostolicus eundem Ill.mum D.num Episcopum ad praestationem iuramenti professionis fidei admisit, et ideo genuflexus dictus Ill.mus D.nus Episcopus coram dicto Ill.mo et Rev.mo D.no Nuntio Apostolico in eius manibus solemniter fidei professionem emisit, iuxta Constitutionem felicis recordationis Pii Papae Quarti, et ubi proprium nomen est expressum. Illud dictus Ill.mus D.nus Episcopus sua propria manu scripsit, praedictamque fidei professionem praedictus D.nus Nuntius recepit et admisit, tenoris videlicet:

^(b)-Ego, Adamus Novvodrovvski, Episcopus Camenecensis, Abbas Premetensis, firma fide credo et profiteor omnia et singula, quae continentur in symbolo fidei, quo Sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet: *Sequitur professio fidei eiusdem tenoris ac apud Biliński ANP XXIV/1, p. 371-372.*

Ego, Antonius Sancta Crucis, Archiepiscopus Seleuciensis, Nuntius Apostolicus, suprascriptum professionis fidei iuramentum admisi et recepi.^{-b)}

[Attestationes]

Super quibus omnibus et singulis petitum fuit [a me] eodem Notario publico, ut unum [51r] conficerem instrumentum, actum Varsoviae in Palatio solitae residentiae dicti Ill.mi et Rev.mi D.ni Antonii Sancta Crucii, Nuntii Apostolici, praesentibus ibidem audientibus et intelligentibus testibus videlicet: Perillustri et adm. Excellenti et Rev.do D.no Cipriano Bardino IUD, filio bonae memoriae Michaelis de Volterra, Curiae Causarum praedicti Ill.mi et Rev.mi D.ni Nuntii Apostolici Generali Auditore et Iudice ordinario; et adm. Rev.do et Excellento D.no Ventura de Rubeis IUD, Praefecto Domus praedicti Ill.mi D.ni Nuntii Apostolici, testibus ad praemissa omnia et singula vocatis, habitis specialiter atque rogatis.

Quibus quidem sicut supra gestis et perfectis, praedictus Ill.mus et Rev.mus D.nus Adamus Novvodrovvski, Episcopus Camenecensis, infralecta die coram nobis, Ill.mo Antonio Sancta Crucio, Nuntio Apostolico, comparuit petitque literas et processum de et super omnibus et singulis praemissis claudi et sigillari, et clausum et sigillatum, ut moris est, sibi

decerni et tradi ad effectum petitum.

Nos igitur attendentes requisitionem huiusmodi esse iustum et rationi consonam, eidem Ill.mo ac Rev.mo D.no Adamo, Episcopo praedicto, processum clausum et sigillatum concedendum iussimus, prout per praesentes concedimus, decernentes praedictis omnibus et singulis tamquam rite et recte gestis plenam indubitatem fidem in iudicio et extra adhibendam esse ubique locorum. In quorum fidem praesentes, propria nostra manu subscriptas, per infrascriptum Curiae nostrae Cancellarium subscribi mandavimus, sigilli nostri, quo in talibus utimur, fecimus impressione muniri. Datum Varsoviae, in loco nostrae solitae residentiae, Anno a Nativitate Domini Nostrri Iesu Christi millesimo sexcentesimo vigesimo septimo, die vero decima sexta Iulii, pontificatus in Christo Patris et D.ni N.r. D.ni Urbani, divina providentia Papae Octavi, anno eius quarto.

(c) Ego, Antonius Sancta Crucis, Archiepiscopus Seleuciensis, Nuntius Apostolicus, fidem supradictis testibus et eorum dictis adhibendam esse censeo et de promovendo bene sentio.^{c)}

Et quia ego, Paulus Roscius, filius Liberati de Monteforcino, Firmanae [51v] Dioecesis Clericus, publicus Apostolica auctoritate Notarius, in Archivo Romanae Curiae descriptus, et Curiae Causarum dicti Ill.mi et Rev.mi D.ni Nuntii Apostolici Cancellarius, de omnibus et singulis praemissis, dum sicut praemittitur fierent et agerentur, per praedictum Ill.mum et Rev.mum D.num Nuntium et coram eo una cum praenominatis testibus rogatus fui, ideo praesentis processus instrumentum subscripti et publicavi requisitus.

Nos, Antonius Sancta Crucis, Archiepiscopus Seleuciensis et in hoc amplissimo Poloniae Regno, cum facultatibus Legati de latere Nuntius Apostolicus, universis etc. tenore praesentium attestamus suprascriptum D.num Paulum Roscium de praemissis rogatum fuisse et esse publicum, legalem et authenticum Notarium et Curiae nostrae Causarum Cancellarium, eiusque scripturis, tam publicis quam privatis, per eum modo et forma praemissis confectis plenam et indubiam, semper ab omnibus ubique locorum adhibitam fuisse et de praesenti adhiberi fidem, in iudicio et extra. In quorum etc. Datum Varsaviae, ex aedibus nostris, die vigesima secunda Iulii 1627.

(c) Antonius Sancta Crucis, Archiepiscopus Seleuciensis,
Nuntius Apostolicus^{c)}

a) Numerus annorum deest.

b-b) In f. 52r-v eadem professio fidei manu propria episcopi conscripta, subscriptione autographa nuntii instructa.

c-c) Autographum.

A. 2.

**Processus informativus Achatii Grochowski
ad episcopatum Luceoriensem promovendi,
ab Antonio Santa Croce confectus**

Varsaviae, 10-22 VII 1627.

*Acta processus informativi Achatii Grochowski, epi Premisliensis, ad se-
dem Luceoriensem, quae post Stanislai Łubieński ad episcopatum Plocensem
(post obitum Hieronymi Cielecki) translationem vacabat, promovendi. Enume-
rantur nomina testium et afferuntur interrogations ipsis positae de persona
nominati et statu dioecesis. Adducuntur responsa Nicolai Sapieha, palatini
Novogrodensis, Maximiliani Przerębski, castellani Siradiensis et referendarii
Regni, Nicolai Sterczewski, secretarii maioris Regni, Pauli Sapieha, vicecan-
cellarii Lithuaniae, Christophori Brzozowski, notarii terrae Bielscensis, Pauli
Piasecki, abbatis Clarae Tumbae, Petri Gembicki, regentis cancellariae Regni,
Stanislai Łubieński, epi nominati Plocensis, Martini Starczewski, decani Lan-
ciciensis. Sequuntur iuramentum et professio fidei Achatii Grochowski, attestatio
iuramenti a nuntio facta, attestations authenticitatis actorum processus a
testibus, deinde a notario factae, et confirmatio facultatum notarii atque atte-
statio fidei huic instrumento adhibenda per nuntium facta.*

Or.: AV, AC, Proc. Consistoriales, ms. 24 f. 821r-840v. In f. 842r decisio Curiae
Romanae: "Ego Cos[mus] Card. de Torres relationem facturus pro certo exi-
stimo Rev.dum Patrem D.num Achatium Grocovski, Episcopum Premislien-
sem, idoneum esse ut ad Ecclesiam Luceoriensem transferatur. Cosmus
Cardinalis de Torres, relator; idem sentio ego, Octavius, Episcopus Ostie-
nis, Cardinalis Bandinus; idem sentio ego, Scipio Cardinalis Burghesius;
idem censeo ego, Hipolitus Diaconus Cardinalis Aldobrandinus".

IN NOMINE DOMINI. AMEN.

Praesenti publico instrumento... etc. formulae similes ac in A. 1, p.
315-316.

[821v] **Nomina testium examinandorum**

1. Illustris et Magnificus D.nus Nicolaus Sapieha, Palatinus Novogro-
diensis.
2. Illustris et Magnificus D.nus Maximilianus Przerembski, Referendarius
Regni.
3. Perillustris et Rev.mus D.nus Nicolaus Szyszkowski, Secretarius Regni
Maior.
4. Illustris et Magnificus D.nus Paulus Sapieha, Vicecancellarius Magni

Ducatus Lithuaniae¹⁷.

5. Generosus D.nus Christophorus Brzozowski, Notarius Terrae Bielsensis.
6. Perillustris et Rev.mus D.nus Paulus Piasecki, Abbas Clarae Tumbae.
7. Perillustris et Rev.mus D.nus Petrus Gembicki, Regens Cancellariae Minoris Regni¹⁸.
8. Perillustris et Adm. Rev.mus D.nus Ioannes Lipski, Regens Cancellariae Minoris.
9. Ill.mus et Rev.mus D.nus Stanislaus Lubienski, Episcopus Luceoriensis, Regni Vicecancellarius.
10. Adm. Rev.dus D.nus Martinus Starczewski, Decanus Lanciciensis, Canonicus Gnesnensis.

In f. 821v-822v sequuntur 19 interrogaciones ad personam candidati pertinentes eiusdem tenoris ac in A. 1 (vide p.317-318), deinde in f. 822v-823r leguntur 12 quaestiones ad statum dioecesis spectantes, sicut in A. 1 (vide p. 318-319).

[Primus testis]

[in f. 823r] Eisdem Anno, Indictione, Mense et Pontificatu quibus supra, die vero decima Mensis Iulii. Pro Ill.mo et Rev.mo D.no Achatio Grochowski, Episcopo Praemisiensi, contra quoscunque, examinatus fuit Varsaviae in Palatio Ill.mi et Rev.mi D.ni Antonii Santacrucii, Nuntii Apostolici praedicti, et coram eo, Ill.ris et Magnificus D.nus Nicolaus Sapieha, Palatinus Novogrodiensis, filius Ill.mi D.ni Bogdani, Palatini Minscensis, Vicecancellarii Magni Ducatus Lithuaniae, aetatis suae annorum 62 incirca, testis vocatus, cui reiterato iuramento prout tactis etc. iuravit ad Sacrosancta Dei Evangelia de veritate dicenda, super interrogatoriis ut supra datis, et primo:

Iuxta primum respondit: Cognosco Dictum Ill.mum et Rev.mum D.num Achatium Grochowski, Episcopum Praemisiensem ab annis quindecim incirca, in Aula Sacrae Regiae Maiestatis Poloniae, hic Varsaviae, et ab illo tempore usque hic semper versatus sum cum illo.

[823v] Iuxta 2^m respondit: Scio quod est oriundus in Provincia Russiae Rubrae et est ortus de legitimo matrimonio ex Catholicis et nobilibus parentibus, et est aetatis annorum quadraginta quinque incirca, quia semper versatus sum cum illo, et pro tali in Aula praedicta et extra, semper ab omnibus est reputatus, prout ego reputavi et reputo, et quod sit dictae aetatis videtur ex aspectu, et eiusdem vel similis aetatis ab omnibus existimatur, prout ego pariter existimo.

¹⁷ Paulus Sapieha (1565-1635), vicecancellarius Lithuaniae ab a. 1623.

¹⁸ Petrus Gembicki (1585-1657), regens cancellariae Regni ab a. 1617, secretarius maior Regni ab a. 1633, vicecancellarius ab a. 1635, cancellarius ab a. 1638, epus Cracoviensis ab a. 1643.

Iuxta tertium respondit: Nescio, quod dictus Episcopus sit Doctor in Sacra Theologia vel in Iure Canonico.

Iuxta quartum respondit: Non recordari a quanto tempore citra dictus Ill.mus sit Praesbiter, sed scio, quod ab annis quinque sit Episcopus, quia eum vidi a dicto tempore citra in habitu episcopali in Aula Sacrae Regiae Maiestatis et alibi.

Iuxta quintum respondit: Nescio dictum Ill.mum Episcopum habere aliquod impedimentum, quod posset impedire eum ad assequendum dictum Episcopatum Luceoriensem, et si haberet, scivissem ex causa conversationis et practica ut supra.

Iuxta sextum respondit: Cognosco dictum Ill.mum D.num Episcopum esse magna integritate vitae, bonis moribus, pietate, prudentia et doctrina praeditum, ut merito non solum reputetur dignus ad dictam Ecclesiam Luceoriensem, verum etiam ad maiores dignitates, et esse profuturum dictae Ecclesiae, quia semper vidi et inspexi in dicto Episcopo tales et maiores qualitates, et non tantum in Aula predicta, sed etiam alibi semper fuit et est reputatus.

Iuxta septimum respondit: Cognovi eum tam ante quam esset Episcopus dictus Ill.mus D.nus Achatius, quam etiam postea semper pro persona Catholica et religiosa, et nunquam fuisse suspectum de haeresi, nec de alia notula maculae, quae impeditat huiusmodi translationem, quia semper illum vidi timoratae conscientiae, divini honoris et proximi salutis zelantem; et scio ex causa ut superius dixi.

Iuxta nonum respondit: Esse ut supra bonae conscientiae, vitae, famae et conversationis, quia vidi ut supra.

Iuxta decimum respondit: Nunquam fuisse dictum Ill.mum D.num Episcopum coniugatum, quia si esset, scivissem ex causis praedictis.

[824r] Iuxta undecimum respondit: Non audivi fuisse unquam dicto Ill.mo D.no Episcopo aliquid imputatum in Iudicio et extra de re tangente vitam, mores et fidem, sed semper fuisse personam exemplarem, et si esset contrarium, scivissem ob causas praedictas, prout omnibus est notum.

Iuxta duodecimum respondit: Non vidi eum studere in aliqua Universitate et Collegio, sed scio ipsum Episcopum esse valde doctum et reputatum pro tali, quia secum versatus sum ut supra.

Iuxta 13 respondit: Non recordari, quod antequam dictus Ill.mus Achatius esset Episcopus, haberet aliqua beneficia, sed modo est Episcopus; et scio ex causa praedicta.

Iuxta 14 respondit: Tantum scire, quantum supra depositum.

Iuxta 15 respondit: Semper audivisse, quod ipse Ill.mus D.nus Episcopus habuit residentiam ad Ecclesiam propriam Episcopalem, et si fuit aliquando absens, fuit causa Comitiorum et invasionis Tartarorum, et nunquam fuisse absentem absque causa a dicta Dioecesi, et de hoc est publica vox et fama.

Iuxta 16 respondit: Nescire, quod dictus Ill.mus D.nus Episcopus permisit haereticos retinere bona dictae suae Ecclesiae Episcopalis, imo semper fuit illis contrarius, prout est notum tam in dicta Aula Regia Poloniae, quam alibi.

Iuxta decimum septimum respondit: Nescire, quod dictus Ill.mus Episcopus habeat aliquam familiaritatem cum haereticis, et si esset, esset ad bonum finem, cum semper fuerit illis contrarius, ut omnibus patet; et scio ex causa praedicta.

Iuxta decimum octavum respondit: Nescire, quod ipse dederit aliquod scandalum, quia si dedisset, scivissem, ut scio esse praeditum et ornatum optimis moribus et aliis qualitatibus, ut supra deposui.

Iuxta decimum nonum respondit: Ego superius dixi cognovisse Ill.mum D.num Episcopum ornatum optimis qualitatibus, et esse maturi consilii, vitae exemplaris et doctrina praeditum, ut non solum ad dictam Ecclesiam, verum etiam ad maiores dignitates esse aptum et idoneum; et scio, quia ipsum cognovi et ex causis praedictis.

[824r] Deinde deventum fuit ad interrogatoria super statu Ecclesiae Cathedralis Luceoriensis.

Iuxta primum respondit: Civitatem Luceoriensem esse sitam in Palatinatu seu Provincia Volinia, esse satis amplam, cuius numerum animarum ignoro, et est sub dominio in temporalibus Sacrae Regiae Maiestatis Poloniae; et praedicta scio, quia fui in dicta Ecclesia et habeo ibidem bona, prout etiam alii mei consanguinei.

Iuxta 2 respondit: In dicta Civitate adesse Cathedram Ecclesiam, et non recordari sub quo titulo sit dicta Ecclesia. Et est ampla et muris constructa, et nescire, quod indigeat aliqua reparacione, quia non animadvertis.

Iuxta 3 respondit: Dictam Ecclesiam esse ornatam Sacris suppellectilibus, adesse Sacrarium, Campanile cum campanis, Chorum, Organum, Coemiterium et alia ad Ecclesiam praedictam necessaria et spectantia, quia ibi fui, Missam audivi et omnia vidi, et nullum defectum notavi.

Iuxta 4 respondit: Nescire, utrum sint reliquiae Sanctorum, et quo ornamento servatae sint.

Iuxta quintum respondit: Nescire adesse dignitates de certo, sed videtur sibi esse duodecim Canonicos incirca, et recordatur esse Archidiaconum, sed non esse divites, nec habere magnos redditus; et scit, quia ibi fuit, vidit ut supra, et credit exerceri cultum divinum diligenter, quamvis ibi non fuerit frequens, sed pro illo tempore quo ibi fuit, vidit exerceri cultum divinum ut supra.

Iuxta sextum respondit: Adesse domum prope Ecclesiam pro habitacione Episcopi, et nescit an indigeat aliqua reparacione.

Iuxta septimum respondit: quod tunc temporis quo ipse fuit, non erat Seminarium, sed postea audivit esse constructum Seminarium, et nescire

numerum studentium.

Iuxta octavum respondit: Nescio adesse Monasteria Monialium, sed adesse Monasteria Fratrum Sancti Dominici et aliorum; et scit, quia fuit et vidit.

[825v] Iuxta nonum respondit: Exerceri curam animarum solum in dicta Ecclesia Cathedrali, et ibidem esse fontem baptismalem, quia vidi et fui ut supra.

Iuxta decimum respondit: Ecclesiam Luceoriensem habere multa oppida, et nescire numerum illorum.

Iuxta undecimum respondit: Introitus Ecclesiae Luceoriensis se nescire, sed palam et publice teneri esse florenos viginti mille [sic] et plus et minus, secundum recollectas et valorem frumentorum.

Iuxta duodecimum respondit: quod Ecclesia Luceoriensis est vacatura per translationem Episcopi ultimi possessoris ad Ecclesiam Plocensem, ut notorium est in Regno Poloniae. In causa scientiae.

Et ita pro veritate deposui, Nicolaus Sapieha, Palatinus Novogrodensis, manu propria.

Sequuntur in f. 825r-837r responsa reliquorum testium, ex quibus Maximilianus Przerębski, Nicolaus Szyszkowski, Paulus Piasecki, Petrus Gembicki, Ioannes Lipski et Martinus Starczewski tantummodo ad interrogationes ad candidatum spectantes, Paulus autem Sapieha, Christophorus Brzozowski et Stanislaus Lubieński etiam ad quaestiones de statu dioecesis respondent. In his responsis magna ex parte repetuntur informationes a Nicolao Sapieha datae (vide supra), excepto responso, quod sequitur:

[Secundus testis]

[825v] Iuxta 4 respondit: Esse fortasse viginti annos, quod dictus Ill.mus est in Sacris Ordinibus constitutus, et Episcopum esse ab annis quinque citra; et scio quia eum cognovi ut supra.

[...]

Iuxta duodecimum respondit: Nescire, quod dictus Rev.mus Episcopus sit versatus in aliquo Collegio et Universitate causa studii, sed bene cognosco et scio eum dedisse operam studiis, tam Romae, quam etiam in aliis locis, cum magno fructu, quia vidi eum disputare cum multis, et etiam mecum, tam hic Varsaviae [826r], quam Cracoviae et alibi disputaverat, ita quod posset alios docere, ut requiritur pro dignitate Episcopali.

[...]

Et ita pro veritate deposui, Maximilianus de Przeramb, Castellanus Sieradiensis, Referendarius Regni, Sacrae Regiae Maiestatis Supremus Aulae Praefectus.

[Tertius testis]

[826v] Iuxta primum interrogatus respondit: Cognosco Ill.mum et Rev.mum D.num Achatium Grochowski, Episcopum Praemisliensem, ab annis viginti citra, et primo in urbe, quia secum ivi Romam de anno 1608, et occasione dicti itineris et a dicto tempore citra continuavi cum eo amicitiam, tam in Aula Sacrae Regiae Maiestatis, quia dictus Ill.mus Secretarius erat Sacrae Regiae Maiestatis, et quia semper versatus sum cum illo.

[...]

Iuxta 3^m respondit: Nescire dictum Ill.mum D.num Episcopum esse Doctorem Sacrae Theologiae, sed scio, quod studuit Romae, Perusii et Moguntiae, tam quia vidi, tam etiam respective quia ita audivi.

[...]

[827v] Nicolaus Szyszkowski, Secretarius Regni Maior, ita deposui pro veritate ut supra, manu propria.

[...]

[Quartus testis]

[828v] Iuxta 13 respondit: Scio praefatum Ill.mum D.num Episcopum habuisse Cantorię Gnesnensem, Canonicatum Cracoviensem, Praeposituram Lanciciensem et Sandomiriensem, in quibus aliquando non resedit, dum erat praepeditus servitiis Sacrae Regiae Maiestatis.

[...]

[829r] Et ita pro veritate deposui, Paulus Sapieha, Vicecancellarius Magni Ducatus Lithuaniae, manu propria.

[...]

[835v] [Nonus testis]

Deinde deventum fuit ad interrogatoria super statu Ecclesiae Luceo-riensis.

Iuxta primum respondit: Civitas Luceoriensis est posita in Provincia seu Districtu Volhiniæ, et per longitudinem Dioecesis est centum sexaginta milliaria, et habet in sua Dioecesi quatuor Episcopos Ruthenos Unidos¹⁹, et numerus animarum est infinitus, et subiacet dominio in temporalibus Sacrae Regiae Maiestatis, et haec scio, quia ego sum Episcopus de predictis informatus.

Iuxta secundum respondit: Adesse Cathedram in dicta Civitate sub invocatione Sanctissimae Trinitatis, opitmae structurae, satis capacem, quamvis indigeat aliqua reparatione ordinaria; et scio ut supra.

Iuxta tertium respondit: Adesse Sacrarium sacra suppellectili sufficien-

¹⁹ Intra fines episcopatus Luceoriensis continebantur duae dioeceses (eparchiae) Ruthenae unitae, Vladimiensiensis et Luceoriensis, necnon pars dioecesis metropolitanae Kiovensis (palatinatus Bracławiensis) et pars eparchiae Pinscensis.

ter ornatum, Campanile cum campanis, Coemiterium et alia ad praedictam Cathedralem requisita et necessaria; et scio ut supra.

Iuxta quartum respondit: Multos adesse reliquias Sanctorum, quae bene asservantur et decenter; et scio ut supra.

Iuxta quintum respondit: Adesse quoque Dignitates post pontificalem, scilicet Praeposituram maiorem, Decanatum, Archidiaconatum et Custodiad, et ultra dignitates praedictas sunt septem Canonici et sunt Vicarii, Mansionarii, quod in totum faciunt numerum 27, et diligenter exercetur cultus divinus; et scio ut supra.

Iuxta sextum respondit: Adesse prope Ecclesiam domum, in qua Episcopus et reliqui fere omnes possunt cohabitare, et non indigeat, nisi ordinaria reparatione, et nec aliqua pars domus minatur ruinam.

Iuxta septimum respondit: Non adesse Seminarium puerorum instruendorum, sed modo esse in fieri et institutum, et debet quam primum perfici, et habet quolibet anno redditum florenos 800, adesse etiam Seminarium seu Collegium Patrum Societatis Iesu, et modo fundatur Monasterium Monialium Sanctae Brigidae, et adest Monasterium Patrum Sancti Dominici in eadem Civitate. Est etiam alter Episcopus Luceoriensis, qui asseritur Graecus, alter Latinus uniti; et scio, quia ego sum in dicta Civitate Episcopus.

Iuxta octavum respondit: Tantum scire, quantum supra depositus, et sunt in dicta Civitate plures Confraternitates Ruthenorum, cum maior pars, imo fere omnes [836r] sunt Rutheni, nisi illi qui veniunt [ex] Polonia, et Hospitalia sunt Ruthena; et scio ut supra.

Iuxta nonum respondit: Adesse Cathedralem Ecclesiam, in qua adest fons baptismalis et cura animarum exercetur; et ut supra scio.

Iuxta decimum respondit: Dioecesis Luceoriensis est ampla et habet in se plurima oppida, quae non valeo numerare, et quotidie nova oppida fundantur, sed in maiori parte Ruthena; et scio causa praedicta.

Iuxta undecimum respondit: Fructus dictae mensae episcopalnis annuatim ascendunt fere ad decem et octo mille [sic] florenos et plus et minus, secundum recollectas et valorem frumentorum, nec est aliqua pensione dicta Ecclesia gravata; et id ut supra scio.

Iuxta duodecimum respondit: Ecclesiam vacaturam fore per meam translationem ad Episcopatum Plocensem, quatenus Ss.mo Domino N.ro placuerit. In causa scienciae.

Stanislaus Lubienski, Epus Luceoriensis, Nominatus Plocensis, Regni Poloniae Vicecancellarius, manu propria.

Sequuntur iuramentum et professio fidei Achatii Grochowski (in f. 837r-838v exemplar, in f. 840r-v autographum) et attestations nuntii ac notarii Pauli Rosci (in f. 838v-839v), forma et tenore similes eis, quae in A. 1. adhibitae sunt, p. 337-338.

A. 3.

**Processus informativus Pauli Piasecki
ad episcopatum Camenecensem promovendi,
ab Antonio Santa Croce confectus**

Varsaviae, 17-25 VII 1627.

Acta processus informativi Pauli Piasecki, abbatis Clarae Tumbae, ad episcopatum Premisliensem, post nominationem Achatii Grochowski ad sedem Luceoriensem vacantem, nominati. Enumerantur nomina testium et interrogations eis propositae, ad personam nominati et statum dioecesis pertinentes. Afferuntur responsa Pauli Karski, decani Camenecensis, Nicolai Katski, canonici Camenecensis, Georgii Ossoliński, capitanei Radoscicensis, Achatii Grochowski, epi Premisliensis, Nicolai Gniewosz, abbatis Coprivicensis. Sequuntur attestations authenticitatis gradus doctoralis Pauli Piasecki et actorum processus a nuntio et notario factae, confirmatio facultatum notarii, iuramentum et professio fidei Pauli Piasecki.

Or.: AV, AC, Proc. Consistoriales, ms. 24 f. 865r-875r. In f. 875r decisio Curiae Romanae: "Ego Cos[mus] Card. de Torres relationem facturus pro certo existimo Rev.dum Paulum Piasecki, Abbatem Clarae Tumbae, idoneum esse ut ad Ecclesiam Camenecensem praeficiatur. Cosmus Cardinalis de Torres, relator; idem sentio ego, Octavius, Episcopus Ostiensis, Cardinalis Bandinus; idem sentio ego, Scipio Cardinalis Burghesius; idem censeo ego, Hipolitus Diaconus Cardinalis Aldobrandinus".

IN NOMINE DOMINI. AMEN

Praesenti publico processus instrumento... etc. tenor formularum introducentium similis ac in A. 1, p. 315-316.

[in f. 865v] **Nomina testium**

1. Adm. Rev.dus D.nus Paulus Karski, Decanus Camenecensis et Canonicus Posnaniensis²⁰.
2. Adm. Rev.dus D.nus Nicolaus Kacki, Canonicus Camenecensis, Custos Scarbimiriensis.
3. Ill.mus D.nus Georgius Ossolinski, Comes de Teczyn, Capitaneus Radoscicensis²¹.

²⁰ Paulus Karski (1590-1645), canonicus Posnaniensis ab a. 1625, decanus Camenecensis ante a. 1627, canonicus Gnesnensis ab a. 1628.

²¹ Georgius Ossolinski, capitaneus Radoscicensis a. 1623-1628, postea - praeter alia - vicecancelarius Regni ab a. 1638, cancellarius ab a. 1643.

4. Ill.mus et Rev.mus D.nus Achatius Grochowski, Episcopus Premisliensis.
 5. Perillustris et Rev.mus D.nus Nicolaus Gniewosz, Abbas Coprivnicensis²².

In f. 865v-866r sequuntur 12 interrogaciones de candidato similes interrogationibus 1-9 i 11-13, quae in A. 1 adhibentur (vide p. 317-318), deinde in f. 866r -v item 12 interrogaciones ad statum dioecesis spectantes, similiter ac in A. 1 (vide p. 318-319).

[Primus testis]

[866v] Eisdem anno, mense, indictione, die et pontificatu quibus supra. Pro Perillustri et Rev.mo D.no Paulo Piasecki, Abbe Mogilensi seu Clarae Tumbae, contra quoscunque, examinatus fuit Varsaviae in Palatio solitae residentiae Ill.mi et Rev.mi D.ni Antonii Sanctacrucii, Archiepi Seleuciensi, Nuntii Apostolici praedicti et coram eo Adm. Rev.dus D.nus Paulus Karski, Decanus Camenecensis et Canonicus Posnaniensis, Praepositus Lancicensis, ex Palatinatu Plocensi, filius Petri, aetatis suae annorum triginta incirca, testis inductus, cui delato iuramento de veritate dicenda, prout tacto pectori etc. iuravit, dixit et depositus prout infra, videlicet:

Iuxta primum interrogatus respondit: Ego cognosco Rev.mum D.num Paulum Piasecki ab annis undecim incirca in Aula Sacrae Regiae Maiestatis, occasione quod ego inserviebam Ill.mo D.no Episcopo Camenecensi moderno²³ et Archiepiscopo Gnesnensi²⁴ hic in Aula Ser.mi Regis, ex quo saepe saepius fuit mihi occasio conversandi et negotiandi de variis rebus et causis cum dicto Rev.mo D.no Paulo Piasecki.

Iuxta 2 respondit: Dictus Rev.mus D.nus Paulus est oriundus ex Palatinatu Sandomiriensi, et scio esse natum de legitimo matrimonio ex nobilibus et Catholicis parentibus, et publice pro tali habitus fuit semper, et pater eius vocabatur Sebastianus, mater vero Catharina Krameska, ambo Catholicci et nobiles. Et nescio cuius aetatis sit, sed ex aspectu potest esse annorum quinquaginta et plus; et scio hoc ex cognitione praedicta, causa quia versatus sum cum ipso a dicto tempore, ut supra.

Iuxta tertium respondit: Scio esse Doctorem Utriusque Iuris, quia vidi illius litteras patentes Doctoratus, et cum ipse sit Archidiaconus Varsavien sis, necesse est ut sit Doctor, quia Archidiaconis in Polonia necesse [867r] est ut sint Doctores; et scio, quia sum informatus de dictis dignitatibus Archidiaconatum ob cognitionem, quam habeo de illis hic in Varsovia.

Iuxta quartum respondit: Scio dictum Rev.mum D.num Paulum esse et fuisse Praesbiterum et in Sacris Ordinibus constitutum, quia saepe vidi il-

²² Nicolaus Gniewosz, (†1654), abbas commendatarius Coprivnicensis ante a. 1627, secretarius maior Regni ab a. 1636, epus Cuiaviensis ab a. 1641.

²³ Adamus Nowodworski.

²⁴ Agitur fortassis de Laurentio Gembicki (1555-1624), aepo Gnesnensi ab a. 1615.

lum celebrare Sacram Missam a tempore, quo illum coepi cognoscere.

Iuxta quintum respondit: Se nescire dictum Rev.mum D.num Paulum esse aliquo impedimento astrictum, quod non possit promoveri ad Ecclesiam Camenecensem, et si esset, scire ex causa cognitionis praedictae; nec esse, nec fuisse coniugatum nec bigamum, et si esset, scire ex praedicta causa.

Iuxta sextum respondit: Scio dictum Rev.mum D.num Paulum esse integritate vitae, bonis moribus, pietate, prudentia et doctrina praeditum, ita ut ad Ecclesiam Camenecensem merito videatur posse promoveri, eiusque promotionem profuturam esse Ecclesiae praedictae et eius gregi; et scio, quia semper cognovi ipsum Rev.mum D.num Paulum Piasecki fuisse Secretarium Ser.mi Regis Poloniae ad exterias nationes, et multi Praelati et personae qualificatae ad ipsum continue accedebant pro consilio et auxilio in eorum causis et indigentiis. Et scio ex causa conversationis praedictae a dicto tempore.

Iuxta septimum respondit: Scio dictum Rev.mum D.num Paulum esse solitum frequentare Sacraenta et celebrare Sacram Missam, quia saepe illum vidi celebrantem et officia alia exercentem in Ecclesia Collegiata Varsaviae, in qua ipse est Archidiaconus.

Iuxta octavum respondit: Scio dictum Rev.mum D.num Paulum esse verum Catholicum et in fidei Catholicae puritate permansisse, nec haeresi suspectum fuisse; et scio ob conversationem praedictam cum ipso habitam. Et si esset de tali crimine suspectus, non esset in tanta existimatione apud Sacram Regiam Maiestatem et totam illius Curiam et Senatum, prout notum est ipsum esse talem; et scio ut supra.

Iuxta nonum respondit: Esse innocentia vitae, divini honoris et proximi salutis zelantem ac bonae famae et conversationis; et scio ex praedicta causa ut supra.

Iuxta decimum respondit: Non fuisse nec esse in Iudicio et extra imputatum in aliquo contra bonos mores, fidem et vitam Catholicam, nec aliquod scandalum dedisse; et si esset, non esset in tanta aestimatione, ut supra deposui; et ego scirem ex causa praedicta.

Iuxta undecimum respondit: Tantum scire, quantum supra deposituit, et ipsum Rev.mum [867v] D.num Paulum esse Doctorem et studuisse, quia vidi eius patentes litteras Doctoratus, et ideo pollere doctrina in Episcopo requisita, ut alios possit docere; et scio ex causa praedicta.

Iuxta duodecimum respondit: Scio dictum Rev.mum D.num Paulum habuisse beneficia Ecclesiastica, scilicet Praeposituram Calissiensem sine cura, Archidiaconatum Varsaviensem, cui est incorporatus Canonicatus Posnaniensis, et Abbatiam Clarae Tumbae, habuisse etiam olim Parochialem Crazimensem²⁵ et bene se gessisse, dum illam retinuit, ut testimonium faciunt quotidie Parochiani Parochiae, qui se dolent dimisisse tantum virum,

²⁵ Agitur de paroecia in Chroberz, quam Paulus Piasecki obtinebat usque ad a. 1616.

et resedisse ordinarie in suo Archidiaconatu.

Deinde deventum fuit ad interrogatoria super statu Ecclesiae.

Iuxta primum interrogatus respondit: Quod Civitas Camenecensis est sita in Provincia Podoliae et distat a flumine Dniestr per duo milliaria; et est populata, et potest habere numerum septem millium animarum et plus et minus; et est sub dominio in temporalibus Sacrae Regiae Maiestatis; et numerus animarum est partim Catholicorum, partim Schismaticorum et Iudaeorum; et praedicta scio, quia sum Decanus Cathedralis Camenecensis iam ab annis 12, quo inservio praedictae Ecclesiae Camenecensi.

Iuxta secundum respondit: Scio, quod in dicta Civitate adest Cathedralis Ecclesia, cum fuerim Canonicus et Archidiaconus, et modo sim illius Decanus, et est sub invocatione SS. Petri et Pauli, et est Ecclesia satis ampla, coementis et lapidibus constructa, nec indiget aliqua reparazione, cum et a moderno Episcopo fuerit restaurata; et scio ex praedicta ut supra narrata.

Iuxta tertium respondit: Scio, quod in dicta Cathedrali Ecclesia adest Sacrarium sacris suppellectilibus sufficienter ornatum, Campanile cum campanis, Chorus, Organum etiam fuit, sed fuit combustum et modernus Episcopus propriis pecuniis mandavit illud refici, et adest Coemiterium et alia necessaria spectantia ad Ecclesiam Cathedralem; et scio, quia ibi fui, inservivi et vidi ut supra.

Iuxta quartum respondit: Adesse quoque reliquias Sanctorum, quorum nomina non recordari, quae decenter asservantur in pixidibus argenteis et ligno inaurato; et scio, quia vidi ut supra.

Iuxta quintum respondit: Dignitates in Ecclesia Cathedrali sunt quinque: Decanatus, Praepositura, Archidiaconatus, Custodia et Poenitentiaria, et prima post Pontificalem est Decanatus. Adsunt quoque Canonici in numero septem, adsunt etiam octo Vicarii, per quos omnes quotidie celebrantur divina officia et cultus [868r] divinus diligenter ibidem exercetur; et in eadem Ecclesia sunt quaedam Altaria dotata, quae habent suas obligaciones certas singulis hebdomadis, quae ab eorum Rectoribus et Capellaniis absolvuntur; et scio quia fui et vidi, et sum informatus de praedictis ut supra.

Iuxta 6 respondit: tantum scire, quantum supra depositit.

Iuxta 7 respondit: Iam aderat domus pro Episcopo prope dictam Ecclesiam Cathedralem, sed iam sunt undecim anni, ex quo combusta est una cum templo et tota Civitate casuali incendio; et Episcopus habet suam residentiam in Arce Czarnokozienik, distante per duo milliaria Polonica a Civitate; et Episcopus solet accedere ad Ecclesiam Cathedralem temporibus solennioribus ad perficiendum munia Episcopalia; et scio, quia inservivi, fui et vidi ut supra.

Iuxta octavum respondit: Non esse Seminarium puerorum instruendorum, sed bene modernus Episcopus aliquid fecit pro illo instituendo; et in

Civitate adest Monasterium Monialium recenter introductarum, adest etiam Monasterium Patrum Sancti Dominici, Fratrum Conventualium Sancti Francisci, adsunt quoque Patres Societatis Iesu, qui ibidem habent Collegium; et per Dioecesim adsunt plura Monasteria quoque Rev.dorum Patrum Sancti Dominici, adest etiam Hospitale, et curam animarum exerceri per Praepositorum Cathedralis; et scio ex praedicta causa, quia ibidem inser-
vivi et de omnibus sum informatus.

Iuxta 9 respondit: Curam animarum in dicta Civitate exerceri in dicta Cathedrali per praedictos Vicarios, nec in Civitate adsunt aliae Parochiae, et fons baptismalis est tantum in Ecclesia Cathedrali; et scio ex praedicta causa, quia ut supra ibi inservivi.

Iuxta 10 respondit: Dioecesim Camenecensem per circuitum esse amplam circa septuaginta milliaria Polonica, et continere in se plura oppida et loca insignita; et scire ut supra ex praedicta cognitione servitii ibidem praestiti.

Iuxta 11 respondit: Redditus Mensae Episcopalis esse septem vel octo millionum florenorum; et scio, quia ibi fui ut supra; et nescio, an sint aliqua pensione gravati.

Iuxta 12 respondit: Scio, quod Ecclesia Camenecensis ad praesens non vacet, sed est vacatura per translationem moderni Episcopi ad Ecclesiam Praemisliensem²⁶, annuente Summo Pontifice. In causa scientiae etc.

Paulus Karski, Decanus Camenecensis et Canonicus Posnaniensis, manu propria.

In f. 868r-872r sequuntur responsa relquorum testium, quorum Georgius Ossoliński, Achatius Grochowski et Nicolaus Gniewosz non nisi quaestiones de candidato, Nicolaus Katski autem etiam ad interrogaciones de statu dioecesis respondet. In eiusmodi responsis maximam partem repetuntur informationes a Paulo Karski datae (vide supra), exceptis his:

[Quartus testis]

[f. 870v] Iuxta primum interrogatus respondit: Ego cognosco Rev.mum D.num Paulum Piasecki ab annis 37 incirca, occasione quod insimul studebamus apud Patres Societatis Iesu, prout etiam Romae 1600 anno Iubilaei, postea hic in Aula Sacrae Regiae Maiestatis Poloniae continuo.

[...]

[871r] Iuxta quartum respondit: Dictum Rev.mum D.num Paulum Piasecki fuisse indutum Romae habitu clericali a decem annis et ultra, et esse Presbiterum, quia ego eum cognosco ut supra.

[...]

²⁶ Adamus Nowodworski.

[f. 871r] Achatius Grochowski, Episcopus Premisliensis, manu propria.
[...]

[Confirmatio authenticitatis diplomatis doctoralis]

[872r] Quibus quidem sicut supra gestis et perfectis, praedictus Perilustris et Rev.mus D.nus Paulus, Abbas Mogilensis, coram nobis infrascrip-ta die comparuit et ad docendum ipsum esse Utriusque Iuris Doctorem facto exhibuit Privilegium Doctoratus, in publicam et authenticam formam redac-tum, sub datum Romae, die 19 Iulii 1610 [872v] et per nos visum et lectum, quod postmodo secum reportavit, et petiti litteras et processum de et super omnibus et singulis praemissis fabricatum concedi, claudi et sigillari, ac clausum et sigillatum, ut moris est, sibi decerni et tradi ad effectum supra petitum.

Nos igitur... etc. *Sequitur confirmatio aytenticitatis actorum processus per nuntium et notarium facta, necnon attestatio facultatum notarii (in f. 872v, 875r), iuramentum et confessio fidei Pauli Piasecki (in f. 873r-v) similiter ac in A. 1, p. 337-338.*

A. 4.

**Processus informativus Andreae Gembicki
ad suffraganeatum Gnesnensem promovendi,
ab Antonio Santa Croce confectus**

Varsaviae, 17 VII- 17 VIII 1627.

Acta processus informativi Andreae Gembicki, abbatis Tremesnensis, ad suffraganeatum Gnesnensem et episcopatum titularem Theodosiensem, post obitum Andreae Wilczyński vacantes, nominati. Enumerantur nomina testium et interrogations eis factae ad personam nominati pertinentes. Adducuntur etiam testimonia Ioannis Lipski, regentis cancellariae Regni, Martini Szysz-kowski, decani Lanciciensis, Michaelis Kupcewicz, secretarii principis Vladislai, et Ioannis Kraszewski, notarii cancellariae regiae. Sequuntur: mandatum Andreae Gembicki, quo procuratorem suum designat Ioannem Kraszewski, qui vice sua processui intererit; auctoritas a nuntio concessa Achatio Grochowski, epo Premisliensi, et Ioanni Bajkowski, suffraganeo Posnaniensi, ad id subdele-gatis, ut iuramentum Andreae Gembicki susciperent; attestaciones authenticitatis actorum processus et iuramenti Andreae Gembicki a nuntio et notario fac-tae; confirmatio facultatum notarii a nuntio data; iuramentum et professio fi-dei Andreae Gembicki; mandatum nuntii, quo designantur subdelegati, qui iu-ramentum nominati suscipiant.

Or.: AV, AC, Proc. Consistoriales, ms. 25 f. 844r-853v. In f. 853r-854r formulae mandati nuntii in libris ab Erico Forsero, notario pontificio Toruniae, referendi, cum dato 9 VIII 1627 r. In f. 54v decisio Curiae Romanae: "Ego Cosmus Card. de Torres relationem facturus pro certo existimo Rev.dum Andream Gembicky, Abbatem Tremenensem ordinis Sancti Augustini Canoniconum Regularium, idoneum esse ut ad Ecclesiam Theodosiensem, in partibus infidelium, praemoveatur, et Archiepiscopo Gnesnensi in Suffraganeum datur Ss.mo D.no N.ro super defectu gradus ompensare placuerit. Cosmus Cardinalis de Torres, relator; idem sentio ego, Octavius, Episcopus Ostiensis, Cardinalis Bandinus; idem sentio ego, Scipio Cardinalis Burghesius; idem censeo ego, Hipolitus Diaconus Cardinalis Aldobrandinus".

IN NOMINE DOMINI. AMEN.

Praesenti publico instrumento cunctis ubique pateat evidenter et sit notum, quod anno a Nativitate eiusdem Domini Nostri Iesu Christi millesimo sexcentesimo vigesimo septimo, Indictione decima, die vero Sabbathi decima spetima Iulii, Pontificatus autem Ss.mi in Christo Patris et Domini N.r. D.ni Urbani, divina providentia Papae Octavi, anno eius quarto.

Coram Ill.mo et Rev.mo D.no Antonio Sanctacrucio, Dei et S. Sedis Apostolicae gratia Archiepiscopo Seleuciensi nec non Ss.mi D.ni N.r. Urbani, divina providentia Papae Octavi Praelato domestico et in Capella eiusdem Assistente, et pro eodem Ss.mo eiusque S. Sedis Apostolicae ad Ser.sum Sigismundum Tertium, Poloniae et Suetiae Regem totumque Poloniae Regnum et Magnum Lithuaniae Ducatum cum facultatibus Legati de latere Nuntio, meque notario publico et Curiae Causarum dicti Ill.mi D.ni Nuntii Apostolici Cancellario.

Comparuit Generosus D.nus Ioannes Kraszowski, Procurator Rev.mi D.ni Andreae Gembicki, Abbatis Tremenensis Ordinis Divi Augustini Canoniconum Regularium, Sacrae Regiae Maiestatis Poloniae Secretarius, ut docuit per chirographum manu dicti D.ni Abbatis subscriptum et eius proprio sigillo obsignatum, sub datum Torunii, die prima huius, et dicto Ill.mo D.no Nuntio Apostolico exposuit, quod cum dictus Rev.mus D.nus Abbas cupiat se promoveri ex benignitate Summi Pontificis ac suae Sanctae Sedis Apostolicae ad Episcopatum Theodosiensem, in partibus infidelium existentem, ut in Suffraganeatu Ecclesiae Archiepiscopalis Gnesnensis inseruire possit, vacante per obitum Rev.mi D.ni Andreae Wilczynski, Episcopi Theodosiensis, dicti Suffraganeatus ultimi possessoris, prout in precibus in dicto mandato procurare et chirographo ad hunc effectum facto continetur, dictasque preces seu supplicationem in dicto mandato procuraie insertas dicto Ill.mo D.no Nuntio Apostolico porrexit sanas, illaesas et omni vitio carentes, quas dictus Ill.mus [844v] D.nus Nuntius Apostolicus recepit, et mihi, Notario Cancellario, consignavit tenoris inferius regrandi [sic]. Ideoque dictus Procurator instetit, iuxta seriem et tenorem dictarum precum coram dicto Ill.mo D.no Nuntio Apostolico, ut dignaretur mandari confici processum super vita, moribus, legitimis natalibus et aliis requisitis qualitatibus ip-

sius Rev.mi D.ni Abbatis, iuxta illius petitionem et preces.

Qui Ill.mus et Rev.mus D.nus Nuntius Apostolicus praedicta attendens, dictum processum confici, iuramenta et depositiones testium desuper inducendorum et examinandorum recipi, ceteraque necessaria fieri, et dictum mandatum procura cum dictis precibus recognosci, et per me, eundem Curiae Notarium Cancellarium, rogari et omnia et singula in publicam formam redigi et redacta, iuxta formam dictarum precum consignari mandavit et mandat per praesentes.

Quibus ita gestis idem Ill.mus D.nus Nuntius Apostolicus mandavit testes, desuper inducendos et super interrogatoriis infrascriptis examinandos, ad se vocari et examinari, praestito prius in manibus Dominationis Suae Ill.mae iuramento de veritate dicenda in forma omni etc..

Nomina testium

1. Perillustris et adm. Rev.dus D.nus Ioannes Lipski, Praepositus Cracoviensis, Cancellariae Minoris Sacrae Regiae Maiestatis Regens.
2. Adm. Rev.dus D.nus Martinus Starczowski, Decanus Lanciciensis, Canonicus Gnesnensis.
3. Generosus D.nus Michael Kupczowicz, Secretarius Ser.mi Vladislai Poloniae et Sueciae Principis²⁷.
4. Generosus D.nus Ioannes Kraszewski, Notarius Cancellariae Sacrae Regiae Maiestatis.

Interrogatoria vero, de quibus supra fit mentio, sunt infrascripta quae sequuntur, videlicet:

1. An cognoscat Adm. Rev.dum D.num Andream Gembicki, Abbatem Tremesnensem, ubi, qua occasione et a quanto tempore citra.
- [845r] 2. An sciat, unde sit oriundus dictus Adm. Rev.dus D.nus Andreas Gembicki, cuius aetatis, an sit ex legitimo matrimonio et catholicis parentibus nobilibus natus.
3. An sciat esse Doctorem vel saltem Licentiatum in Sacra Theologia vel utroque Iure vel saltem in Iure canonico, et quomodo.
4. An sciat esse Presbiterum, quomodo et a quanto tempore citra, et an sit solitus Sacraenta frequentare.
5. An sciat ipsum aliquo impedimento detineri, quominus promoveri possit ad Episcopatum.
6. An sciat fuisse coniugatum vel bigamum.
7. An sciat in iudicio, vel extra, fuerit imputatus de aliquo delicto, quod eius vitam, mores et fidem tangat, vel scandalum dederit in populo.

²⁷ Michael Kupewicz, († post 1649), ab a. 1618 secretarius regius, ab a. 1619 notarius in cancellaria regia. Zemla non memorat Michaelem Kupewicz inter aulicos principis Vladislai, cfr. Zemla, passim.

8. An sciat illum habuisse vel modo habere beneficia aliqua, et quae, et an illa requirant residentiam, vel sint incompatibilia.

9. An sciat ipsum alienasse bona suorum beneficiorum.

10. An sciat, quomodo se gesserit circa functiones Ecclesiae ac etiam circa residentiam, gubernium et administrationem Ecclesiarum, quas habuit, etiam quoad curam animarum, si illam habebat.

11. An sciat habere familiam haereticam vel conversationem cum haereticis, vel esse aliqua censura vel irregularitate innodatum.

12. An sciat ipsum fuisse et esse verum Catholicum, omni puritate fidei, vitae innocentia, morum integritate, usu, doctrina et experientia praeditum, maturi consilii, integrae et bonae famae, ita ut possit docere alios, et merito videatur promovendus ad Ecclesiam Cathedralem Theodosiensem, eiusque promotionem profuturam esse Ecclesiae Gnesnensi eiusque gregi sibi comitendo ac sublevamen Archiepiscopo Gnesnensi in eius Suffraganeatu.

Eisdem anno, inductione, mense, pontificatu quibus supra, die [845v] vero decima nona, pro Ill.mo et Rev.mo Dno Andrea Gembicki, Abbe Tremesnensi, Sacrae Regiae Maiestatis Secretario, contra quoscumque, examinatus fuit Varsoviae et in Palatio solitae residentiae Ill.mi et Rev.mi D.ni Antonii Sanctacrucii, Archiepiscopi Seleuciensis, Nuntii Apostolici, praesens per me et coram eo, Perillistris et Adm. Rev.dus D.nus **Ioannes Lipski**, Praepositus Cracoviensis, Cancellariae Minoris Sacrae Regiae Maiestatis Poloniae Regens, filius bonae memoriae Laurentii de Palatinatu Ravensi, aetatis suae annorum 38 incirca, testis inductus, cui delato iuramento de veritate dicenda, super interrogatoriis ut supra datis, prout tacto pectore iuvavit, dixit et depositus, prout infra videlicet, et primo:

Iuxta primum interrogatus respondit: Ego cognosco dictum Rev.mum D.num Andream a quindecim vel sexdecim annis incirca, ex occasione quia cum ipso ego ivi in Italianam, et habui conversationem circa duos annos Romae, deinde vero Perusiae, et postmodum hic in Polonia per biennium, et deinde cum ipso semper habui familiaritatem.

Iuxta 2 respondit: Dictum Rev.mum Abbatem esse oriundum ex Palatinatu Posnaniensi, et esse aetatis suae annorum 38 incirca, natum de legitimo matrimonio ex nobilibus et Catholicis parentibus; et scio, quia cognovi eum ut supra et de hoc est publica vox et fama.

Iuxta 3 respondit: Nescio, an dictus Rev.mus D.nus Abbas sit Doctor, sed bene scio ipsum esse doctum ex causa praedicta cognitionis, quia versatus sum cum ipso.

Iuxta 4 respondit: Esse dictum Rev.mum D.num Abbatem constitutum in sacris ordinibus; et scio ex causa praedicta cognitionis, sed nescio a quo annis in dictis ordinibus sit constitutus, et esse solitum frequentare Sacra menta; et scio, quia vidi mediante conversatione cum ipso habita.

Iuxta quintum respondit: Nescire, an dictus Abbas detineatur aliquo

impedimento, quod possit impedire eius promotionem ad Episcopatum Theodosiensem, et si detineretur, scirem ex causa praedictae cognitionis.

[846r] Iuxta 6 respondit: Non fuisse dictum Abbatem coniugatum nec bigamum, et si esset, scirem ex causa praedicta conversationis.

Iuxta 7 respondit: Non fuisse dictum Rev.mum D.num Abbatem in aliquo imputatum, quod eius vitam, mores et Fidem Catholicam tangat, nec dedisse aliquod scandalum in populo, et si dedisset aut de aliquo delicto fuisset imputatus, scirem ex causa conversationis ut supra.

Iuxta 8 respondit: Dictum Abbatem habuisse quaedam beneficia, videlicet: Custodiam Volboriensem, Canonicatum Gnesnensem, et modo habere Abbatiam Tremesnensem, nec habere curam animarum, quia ita audivi, et nescio sed credo Canonicatum fuisse de residentia, in quibus beneficiis dictum Abbatem residere non potuisse, quia erat Secretarius Sacrae Regiae Maiestatis Poloniae et fuit Cancellarius Archiepiscopi Gnesnensis, patrui ipsius²⁸; et fuisse dicta beneficia incompatibilia, sed credo habuisse dictum Abbatem dispensationem, quia omnes solent habere dispensationes, quando habent beneficia incompatibilia.

Iuxta nonum respondit: Nescire alienasse dictum Abbatem bona suorum beneficiorum, sed si alienasset, scire ex causa praedictae cognitionis.

Iuxta decimum respondit: Nescire quomodo se gesserit dictus Abbas in dictis beneficiis, sed credere bene se gessisse in illis.

Iuxta undecimum respondit: Dictum Abbatem non habuisse nec habere familiam haereticam, nec familiaritatem cum illis, nec esse innodatum aliqua censura et irregularitate, quia si esset, scirem ex causa praedictae cognitionis.

Iuxta duodecimum respondit: Dictum Rev.mum D.num Abbatem fuisse et esse verum Catholicum et puritate Fidei Catholicae ac innocentia vitae, morum integritate, doctrina praeditum, experientia rerum, maturi consilii et integrae famae; et scio ex praedicta conversatione, et ita quoque credo, ita ut possit docere alios et merito videatur promoveri ad Ecclesiam Cathedram Theodosiensem, eiusque promotionem esse profuturam dictae Ecclesiae Gnesnensi [846v] eiusque gregi, et eius Suffraganeatum sublevamen Archiepiscopo Gnesnensi. In causa scientiae.

In f. 847v-849v sequuntur responsa reliquorum testium. In talibus responsis maximam partem repetuntur notitiae, ab Ioanne Lipski allatae (vide supra), exceptis his:

[Secundus testis]

[f. 846v] Iuxta tertium respondit: Nescio, an dictus Abbas sit Doctor, sed audivi quod ipse studuerit Romae et Perusiis.

²⁸ Laurentius Gembicki (1559-1624), aepus Gnesnensis ab a. 1615, patruelis Ioannis Gembicki (†1602), patris Andreae.

[...]

[847v] Martinus Starczowski, Decanus Lanciciensis, Gnesnensis Canonicus, manu propria.

[Tertius testis]

[847v] Iuxta primum repondit: Ego cognosco Rev.mum D.num Abbatem Tremenensem Romae et hic Varsaviae a decem annis incirca, quia fui secundum Romae ad effectum studendi Romae in Collegio Romano, et hic Varsaviae pluries fui in eius domo, prout etiam Tremenae ubi est Abbas.

[...]

[848v] Ioannes Kraszowski pro veritate deposui, manu propria.

[Quartus testis]

[849r] Iuxta tertium respondit: Nescire dictum Abbatem esse Doctorem, sed tantum scire, quod tempore, quo erat ipse testis in servitio Archiepiscopi eius patrui, ipse Abbas studiis incumbebat in oppido Lubavia in Dioecesi Culmensi.

[...]

[849v] Ita deposui ego, Michael Kupczowicz, Secretarius Ser.mi Principis.

[Mandatum Andreae Gembicki]

Tenor vero mandati procuraे una cum precibus, de quo supra fit mentio, est talis, videlicet:

Ill.mo et Rev.mo D.no Antonio Sancta Crucio, Dei et Sanctae Sedis Apostolicae gratia Archiepiscopo Seleuciensi, eiusdemque Sanctae Sedis, cum facultatibus Legati de latere, Nuntio in Regno Poloniae, infrascriptus orator supplicat.

Ill.me et Rev.me Domine. Ego, Andreas Gembicki, Abbas Tremesnensis Ordinis Divi Augustini Canonorum Regularium, Sacrae Regiae Maiestatis Secretarius, cum promoveri cupiam ex benignitate Summi Pontificis ac suae Sanctae Sedis Apostolicae ad Episcopatum Theodosiensem in partibus infidelium existentem, ut in Suffraganeatu Ecclesiae Archiepiscopalis Gnesnensis inserviam, vacante ad praesens obitu Rev.mi D.ni Andreae Wilczynski, Episcopi Theodosiensis, dicti Suffraganeatus ultimi [850r] possessoris, supplico Ill.mae et Rev.mae Dominationi V.rae, ut iuxta Decreta Sancti Tridentini Concilii ac Constitutiones Ss.mi D.ni Gregorii decimi quarti, informationes de fide, vita, doctrina et moribus meis capiat ac illas una cum professione fidei, in publicam formam clausas et sigillatas, ad Ss.mum Dominum N.rum transmittat, et quia propter loci distantiam ac aliis impeditus negotiis personaliter comparere, ac de predictis coram Ill.ma et Rev.ma

Dominatione V.ra instantiam facere non valeam, per praesentes manu mea scriptas et subscriptas, meoque sigillo communitas preces, constituo et deputo Generosum D.num Ioannem Kraszewski, qui nomine meo supplicet, compareat, petat, instet coram Ill.ma et Rev.ma Dominatione V.ra. Quae omnia Ill.ma et Rev.ma Dominatio V.ra dignabitur suspicere, agere er perficere, prout prudentiae suae magis idoneum et opportunum videbitur, pro quibus adimplendis iterum oro, rogo et exposco. Quam Deus etc. Datum Torunii, prima Iulii 1627.

Ego, Andreas Gembicki, Abbas Tremesnensis ut supra, propria manu mea scripsi et subscripti ac meo sigillo signavi.

Loco sigilli

Rev.dus Samuel Gorecki, Dioecesis Gnesnensis, et Generosus D.nus Adamus Plucinski, Dioecesis Posnaniensis, et medio iuramento tactis scriptis et pectore respective recognoverunt manum, litteras et characterem ac personam subscripti Rev.mi D.ni Andreeae Gembicki ac subscriptum eius sillum in forma etc. Hac die 13 Augusti 1627.

[Attestationes]

Quibus quidem sicut supra gestis et completis, supradictus Generosus D.nus Ioannes Kraszewski, procurator dicti Adm. Rev.di D.ni Andreeae Gembicki, Abbatis Tremesnensis, comparuit coram dicto Ill.mo et Rev.mo D.no Nuntio Apostolico, et exposuit quod cum dictus Rev.mus D.nus Andreas Gembicki, Abbas Tremesnensis ob distantiam loci praesens adesse nequeat pro praestando in manibus Dominationis Suae Ill.mae professionis fidei iuramento, iuxta formam Constitutionis Pii Papae Quarti, ut promoveri possit a Ss.mo Domino N.ro ad [850v] Episcopatum Theodosiensem in partibus infidelium, ad effectum inserviendi pro Suffraganeo in Ecclesia Archiepiscopali Gnesnensi, ideoque instetit et petiit ab eodem Ill.mo D.no Nuntio Apostolico committere ac facultatem et autoritatem concedere, seu subdelegare aliquem seu aliquos, insolidum ipsi Ill.mo benevisos, ad effectum recipiendi huiusmodi professionis fidei iuramenti in forma.

Qui Ill.mus et Rev.mus D.nus Nuntius Apostolicus attendens petititionem praedictam esse iustum ac rationi consonam, iustaque petenti non esse denegandum assensum, et consulendo indemnitati subscripti Rev.mi D.ni Abbatis ob eius distantiam ad effectum praedictum tantum commisit, facultatemque et auctoritatem concessit ac impartitus fuit Ill.mo et Rev.mo D.no Achatio Grochowski, Episcopo Premisliensi, necnon Perillustri et Rev.mo D.no Ioanni Baykowski, Episcopo Ennensi, Suffraganeo Posnaniensi²⁹, et cuilibet ipsorum insolidum, eosque delegavit ad effectum praedictum tantum omni etc., et litteras praedictas commissionis et subdelegationis

²⁹ Ioannes Bajkowski (†1650), suffraganeus Posnaniensis et epus titularis Ennesis ab a. 1627.

eisdem, ut supra deputatis et subdelegatis dirigendas concessit et relaxavit ac expediri mandavit omni etc. Hac die sexta Augusti 1627.

Pro Rev.mo D.no Andrea Gembicki, Abbe Tremenensis, contra quos-cunque.

Comparuit coram suprascripto Ill.mo et Rev.mo D.no Nuntio Apostolico, meque Cancellario etc., suprascriptus Generosus D.nus Ioannes Kraszowski, procurator praefati D.ni Abbatis, et ad docendum Rev.mum D.num Abbatem Tremenensem praedictum professionem fidei praestitisse in manibus Ill.mi et Rev.mi D.ni Achatii Grochowski, per ipsum Ill.mum D.num Nuntium Apostolicum subdelegati ad dictum effectum, una cum Rev.mo D.no Ioanne Baykowski insolidum, dictamque professionem emisisse facto exhibuit in omnibus dicti Ill.mi D.ni Nuntii, dictum iuramentum professionis fidei et praestationis iuramenti, rogatum per D.num Ericum Forserum, auctoritate Apostolica publicum Notarium, sub die nona huius in Civitate Toruensi, quod dictus Ill.mus D.nus Nuntius Apostolicus recepit et mihi, Notario Cancellario, tradidit tenoris etc. Ac proinde dictus procurator petiit litteras [851r] et processum de et [super] omnibus et singulis praemissis fabricatum concedi, claudi et sigillari ac clausum et sigillatum, ut moris est, sibi decerni et tradi ad effectum suprascriptum.

Qui Ill.mus praedictus attendens etc. dicto procuratori praedicti D.ni Abbatis, sicut supra petenti processum clausum et sigillatum una cum litteris praedictis concedere iussit, prout per praesentes concessit, decernendo praedictis omnibus et singulis, tanquam rite et recte gestis, plenam et indubam fidem in Iudicio et extra adhibendam esse. In quorum fidem praesentes manu sua propria subscriptas, per me, infrascriptum Curiae Cancellarium, subscribi mandavit, sigillique sui, quo in talibus utitur, impressione muniri. Datum Varsaviae, ex aedibus dicti Ill.mi D.ni Nuntii, hac die 14 Augusti 1627. Praesentibus ibidem Ill.bus D.D. Michaeli Burghio et Iacobo Betto, Romanis, testibus ad praemissa adhibitis.

^(a)-Ego, Antonius Sancta Crucis, Archiepiscopus Seleuciensis, Nuntius Apostolicus, fidem supradictis testibus et eorum dictis adhibendam esse censeo et de promovendo bene sentio^{a)}.

^(b)-Et ego, Paulus Roscius de Monteforcino, Firmanae Dioecesis Clericus, publicus Apostolica auctoritate Notarius, in Archivio Romanae Curiae descriptus, et ad praesens Curiae Causarum Ill.mi et Rev.mi D.ni Antonii Sancta Crucis, Archiepiscopi Seleuciensis et Nuntii Apostolici Cancellarius, de praemissa rogatus. Ideo praesens instrumentum subscrispi et publicavi requisitus^{b)}.

Nos, Antonius Sancta Crucis, Archiepiscopus Seleuciensis et in hoc amplissimo Poloniae Regno cum facultatibus Legati de latere Nuntius Apo-

stolicus, universis et sigulis, quorum interest etc., attestamur suprascriptum D.num Paulum Roscium de praemissis rogatum fuisse et esse publicum Notarium legalem et authenticum ac Curiae nostrae Causarum Cancellarium, eiusque scripturis, [851v] tam publicis quam privatis, per eum modo et forma praemissis confectis semper adhibitam fuisse et de praesenti adhiberi fidem, in Iudicio et extra. In quorum fidem etc. Datum Varsaviae, ex aedibus nostris die decima septima Augusti 1627.

(a)-Antonius Sancta Crucis, Archiepiscopus Seleuciensis, Nuntius
Apostolicus^{a)}

(a)-Ludovicus Piazzolus, IUD, Secretarius^{a)}

[Iuramentum]

[852r]^(a)-Ego, Andreas Gembicki, Abbas Tremesnensis, Sacrae Regiae Maiestatis Secretarius^{a)}, firma fide credo et profiteor omnia et singula, quae continentur in symbolo fidei, quo Sancta Romana Ecclesia utitur, vide-licet: *In f. 852r-v sequitur professio fidei eiusdem tenoris ac apud Biliński ANP XXIV/1, p. 371-372.*

[852v] ^(a)-Ego, Achatius Grochowsky, Episcopus Premisliensis, Nomina-tus Luceoriensis, subdelegatus ab Ill.mo et Rev.mo D.no Nuntio Apostolico, suprascriptum fidei professionis iuramentum admisi et recepi, manu propria^{a)}

[Mandatum Nuntii]

[853r] Antonius Sancta Crucis, Dei et Sanctae Sedis Apostolicae Apo-stolicae gratia Archiepiscopus Seleuciensis necnon Ss.mi in Christo Patris et D.ni N.ri Domini Urbani, divina providentia Papae Octavi Praelatus Do-mesticus et in Capella eiusdem Assistens, ac pro eodem Ss.mo eiusque Sancta Sede Apostolica ad Ser.mum Sigismundum Tertium, Poloniae et Sueciae Regem, totumque Poloniae Regnum ac Magnam Lithuaniae Ducatum etc. cum facultatibus Legati de latere Nuntius.

Ill.mo et Rev.mo D.no Achacio Grochowski, Episcopo Praemisliensi, nec-non Perillustri et Rev.mo D.no Ioanni Baykowski, Episcopo Ennensi, Suffraganeo Posnaniensi, salutem et sinceram in Domino charitatem, et in com-missis diligentiam adhibere. Cum Adm. Rev.dus D.nus Andreas Gembicki, Abbas Tremesnensis ob distantiam [853v] loci praesens adesse nequeat pro praestando in manibus nostris professionis fidei iuramento, iuxta formam Constitutionis Pii Papae Quarti, ut promoveri valeat a Ss.mo D.no N.ro Ur-bano Papa Octavo ad Episcopatum Theodosiensem, in partibus infidelium, et ut inservire possit pro Suffraganeo in Ecclesia Archiepiscopali Gnesnensi. Nos, volendo praemissis eo quo decet remedio providere, tenore praesentium

Apostolica autoritate vobis et cuilibet V.rum insolidum committimus, facultatemque et autoritatem concedimus et impartimur, ac quemlibet V.rum insolidum subdelegamus, ut iuramentum huiusmodi recipiatis, illudque sic receptum in publicam formam redactum ad nos quantocutius transmittatis. In fidem etc. Datum Varsaviae ex aedibus nostris, die sexta Augusti 1627

Antonius Sancta Crucis, Archiepiscopus Seleuciensis, Nuntius Apostolicus

Locus
sigilli

Paulus Roscius, Notarius, Cancellarius

a-a) *Autographum.*
b-b) *Alia manu scriptum.*

A. 5.

**Processus informativus Ioannis Wyszemirski
ad suffraganeatum Samogitiensem promovendi,
ab Antonio Santa Croce confectus**

Varsaviae, 27 X - 9 XI 1627.

Acta processus informativi Ioannis Wyszemirski, canonici Samogitiensis, ad suffraganeatum Samogitiensem, a priore episcopo Samogitiensi, Stanislao Kiszka, institutum, et ad episcopatum titularem Christopolitanum nominati. Enumerantur nomina testium et interrogations eis propositae, ad personam nominati spectantes. Afferuntur testimonia Matthei Babinowski, canonici Samogitinesis, Christophori Szukosta, parochi Savlanensis, Ioannis Rusiewicz, notarii publici, et Georgii Kiełprz, presbyteri dioecesis Samogitiensis. Sequuntur: litterae epi Samogitiensis Abrahami Woyna, electionem Ioannis Wyszemirski in suffraganeum Samogitiensem confirmantes, attestatio authenticitatis actorum processus a nuntio facta et confirmatio facultatum notarii item a nuntio data.

Or.: AV, AC, Proc. Consistoriales, ms. 25 f. 834r-841v. In f. 841r subscriptio autographa: "Iacobus Bettus pro Secretario". In f. 841v decisio Curiae Romanae: "Ego Cos[mus] Card. de Torres relationem facturus pro certo existimo Ioannem Vizkemenski, Canonicum et Vicarium Generalem Samogitiensem, idoneum esse ut ad Ecclesiam Christopolitanam, in partibus infidelium, moveatur, et Episcopo Samogitiensi in Suffraganeum datur, si Ss.mo D.no N.ro placuerit dispensare super eo quod professionem fidei in manibus Nuntii Apostolici ob locorum distantiam non emiserit, cum decreto quod antequam munus consecrationis suscipiat, professionem fidei in manibus Episcopi Samogitiensis, seu Vilnensis, emitat, et infra certum tempus instrumentum ad curiam transmittat. Cosmus Cardinalis de Torres, rela-

tor; idem censeo ego, Octavius, Episcopus Ostiensis, Cardinalis Bandinus; idem censeo ego, Scipio Cardinalis Burghesius; idem censeo ego, Hipolitus Diaconus, Cardinalis Aldobrandinus".

IN NOMINE DOMINI. AMEN.

Praesenti publico instrumento...etc. similiter ac in A. 4, p. 352-353.

[834v] **Nomina testium**

1. Adm. Rev.dus D.nus Matthaeus Babinovvski, Canonicus Samogitiensis.
2. Rev.dus D.nus Christophorus Szukosta, Parochus Saulanensis.
3. Nobilis D.nus Ioannes Rusievvoicz, Notarius Publicus.
4. Rev.dus D.nus Gregorius Kiełprz, Presbiter Dioecesis Samogitiensis.

**Interrogatoria, de quibus supra fit mentio, sunt infrascripta
quae sequuntur, videlicet**

1. An ipse testis cognoscat Adm. Rev.dum D.num Ioannem Wyszemierski, Canonicum Samogitiae, quo modo, a quo tempore citra, an sit ipsius consanguineus, cognatus, affinis, nimium familiaris, aemulus vel odiosus.
2. An sciat, in qua Civitate, vel loco, et Dioecesi dictus Adm. Rev.dus D.nus Ioannes, Canonicus, sit natus, et quae sit causa scientiae.
3. An sciat ipsum natum esse ex legitimo matrimonio, atque honestis et Catholicis parentibus, et quae sit causa scientiae.
4. An sciat, cuius aetatis sit, praesertim an expleverit annum trigesimum, et quae sit causa scientiae.
5. An sciat eum esse in Sacris Ordinibus constitutum, quibus, a quo tempore citra, praesertim an ante sex menses, et quae sit causa scientiae.
6. An sciat eum esse in ecclesiasticis functionibus et in exercitio ordinum susceptorum diu versatum, in susceptione Sacramentorum frequentem et devotum, et quae sit causa scientiae.
7. An sciat eum semper Catholice vixisse et in fidei puritate permanuisse, et quae sit causa scientiae.
8. An sciat eum praeditum esse innocentia vitae, bonisque moribus, et an sit bona conversationis et famae, et quae sit causa scientiae.
9. An sciat eum esse virum gravem, prudentem et usu rerum praestantem, et quae sit causa scientiae.
10. An sciat aliquo gradu in Iure Canonico, vel in Sacra Theologia insigntum esse, quibus [835r] in locis, quanto tempore et quo fructu ipsi Theologiae vel Iuri Canonico operam dederit, et an vere ea doctrina polleat, quae in Episcopo requiritur ad hoc, ut possit alias docere, et quae sit causa scientiae.
11. An sciat eum aliquo munere aliquando functum esse, vel circa curam

animarum, aut regimen alterius Ecclesiae se exercuisse, et quomodo in eis se gesserit, tam quoad doctrinam, quam quoad prudentiam, integritatem et mores, et quae sit causa scientiae.

12. An sciat eum aliquando publicum aliquod scandalum dedisse circa fidem, mores, sive doctrinam, vel aliquo corporis aut animi vitio, aliove canonico impedimento teneri, quominus possit ad Ecclesiam Cathedralem promoveri, et quae sit causa scientiae.

13. An eum idoneum existimet ad bene regendam Ecclesiam Cathedralem, et praesertim eam, ad quam ipse est promovendus, an dignum qui ad illam promoveatur, et an ipsius promotionem eidem Ecclesiae utilem et proficuum futuram esse censeat, et quare ita existimet.

Primus testis

Examinatus fuit Varsoviae, et in Palatio solitae residentiae Ill.mi et Rev.mi D.ni Antonii Sancta Crucii, Archiepiscopi Seleuciensis, Nuntii Apostolici praedicti, et per dictum Ill.mum D.num Nuntium, Adm. Rev.dus D.nus Mattheus Babinovski, filius Ioannis, Canonicus Samogitiensis, aetatis suae annorum quadraginta quinque incirca, testis ab eodem Ill.mo D.no Nuntio ex officio vocatus, cui delato iuramento de veritate dicenda, super interrogatoriis ut supra per dictum Ill.mum D.num Nuntium formatis, prout tactis sacris scripturis ad Sacrosancta Dei Evangelia iuravit, dixit et depositus, prout infra videlicet, et primo:

Iuxta primum interrogatus respondit: Ego cognosco dictum Ill.mum D.num Canonicum Ioannem occasione, qua ego studui Samogitia, et tunc temporis dictus D.nus Ioannes erat Canonicus, quam cognitionem habui iam a triginta annis incirca, et deinde quoque quia ego fui et sum Canonicus in ea dicta Civitate Samogitia, prout ille est, et ideo semper sumus insimul versati, nec sum illius consanguineus, cognatus, aemulus vel odiosus, nec nimium familiaris, quamvis, ut supra deposui, versati sumus insimul.

Iuxta 2^m respondit: Scio dictum D.num Canonicum Ioannem esse natum in Ducatu Massoviae, et credo [835v] in propriis bonis; et scio, quia semper audivi esse dictum D.num Canonicum de dicto loco Massoviae, et ita pro tali publice et palam habetur et reputatur.

Iuxta 3^m respondit: Scio dictum D.num Canonicum esse natum ex legitimo matrimonio, atque honestis et Catholicis parentibus, quia semper ut supra versatus sum cum illo, et pro tali semper habitus est publice et palam ab omnibus; et si esset contrarium, scivissem ex causa cognitionis ut supra cum ipso habitae.

Iuxta 4^m respondit: Scio dictum interrogatum D.num Canonicum esse aetatis annorum sexaginta et plus, prout ex canitie et aspectu illius dignoscitur; et scio quoque ex cognitione de illo habita ab annis triginta et ultra, ut supra deposui.

Iuxta 5 respondit: Scio dictum D.num Canonicum esse in Sacris Ordinibus constitutum, ut requiritur ad consequendum Canonicatum, et est in dictis Ordinibus constitutus a triginta annis et ultra; et scio, quia eum Canonicum a dicto tempore, ut supra deposui, cognovi.

Iuxta 6 respondit: Scio dictum D.num Canonicum Ioannem esse in ecclesiasticis functionibus et in exercitio ordinum susceptorum diu versatum et devotum, et frequentem in susceptione Sacramentorum; et scio ex causa cognitionis praedictae, et quia semper illum vidi celebrantem, frequentem et devotum, et multa quoque bona ecclesiastica Samogitia donasse, et pro tali est semper ab omnibus habitus et reputatus, et quod dicta bona donaverit, est quoque publica vox et fama; et scio, quia vidi.

Iuxta 7^m respondit: Scio dictum interrogatum D.num Canonicum semper Catholice vixisse et in fidei puritate permansisse et permanere; et scio, quia cognosco dictum D.num Canonicum a dicto tempore, ut supra deposui, et vidi illum semper Catholicum vixisse et in fidei puritate permansisse et permanere, nec aliquid in contrarium unquam de illo audivi, et si esset contrarium, scirem ex causa cognitionis a dicto tempore, ut supra deposui.

Iuxta 8 interrogatus respondit: Scio dictum D.num Canonicum esse praeditum innocentia vitae et bonis moribus, et esse quoque bonae conversationis et famae; et scio, quia versatus sum cum illo, et cognosco iam a triginta annis circa, ut supra deposui.

Iuxta 9 respondit: Scio dictum Adm. R.dum D.num Ioannem, Canonicum, esse virum gravem, prudentem et usu rerum praestantem; et scio ex causa conversationis praedictae, a tempore ut supra deposui.

[836r] Iuxta 10 respondit: Scio dictum D.num Ioannem esse gradu Sacrae Theologiae insignitum, quia semper audivi illum fuisse Licentiatum in Sacra Theologia apud Rev.dos Patres Societatis Iesu Vilnae, ubi studuit a dicto tempore quo, ut supra deposui, eum cognovi, et dedit operam dictae Sacrae Theologiae illo fructu, ex quo se reddit aptum habere curam animarum, tam in dicta Civitate Vilnae, quam etiam Samogitia, et quod habuerit et modo habeat dictam curam; scio, quia talem eum cognovi a dicto tempore triginta annorum, ut supra deposui, et pro tali ab omnibus est reputatus.

Iuxta 11 respondit: Scio dictum interrogatum D.num Ioannem, Canonicum, functum esse munere tam circa curam animarum, quam circa regimen Ecclesiae, quia ille habuit parochialem Ecclesiam Bosolemenleri circa annos viginti, et bene et optime in eis se gessit, tam quoad doctrinam, quam quoad prudentiam, integratem et mores; et scio quia illum semper cognovi a dicto tempore triginta annorum, ut supra deposui, prout etiam eius actiones, et pro tali semper ab omnibus est habitus, tentus et reputatus, prout ego reproto ob dictam cognitionem, nec praedictis aliquod contrarium a nemine unquam audivi, prout audivissem et scivissem, si in aliquo praedictis esset contrarium, ob cognitionem et praticam ut supra cum illo habitam.

Iuxta 12 respondit: Scio dictum D.num Ioannem, Canonicum, non solum aliquando, sed [n]unquam aliquid publicum, nec privatum scandalum dedisse, nec circa fidem, nec minus circa mores sive doctrinam, nec teneri aliquo vitio, nec corporis nec animi, prout nec etiam aliquo Canonico impedimento, quominus possit promoveri ad dictam Ecclesiam Christopolitanam, et inservire possit in Suffraganeatu Ecclesiae Samogitia ad titulum dictae Ecclesiae Christopolitanae erecto; et scio, quia semper cognovi illum a dictis vitiis et ab omni impedimento alienum, immo in illo a dicto tempore cognovi totum oppositum, prout ab omnibus aliis audivi, et si esset contrarium, sci rem ex causa praedictae cognitionis.

Iuxta 13 respondit: Ego existimo dictum Adm. Rev.dum D.num Canonicum Ioannem idoneum ad bene regendam dictam Ecclesiam, ad quam ut supra ipse est promovendus, et dignum ut ad illam promoveatur, et censeo ipsius promotionem utilem et proficuam futuram esse eidem Ecclesiae, et ita existimo ob cognitionem, quam de eo ut supra habui a dicto tempore triginta annorum, tam [836v] de gubernio parochialis, quam aliorum regimini per ipsum habitorum, et quia quoque est solitus augmentare Ecclesias et illi[s] donare candelabria et alia, prout donavit Ecclesiae praedictae Samogitia; et scio ibidem, quia ego sum Canonicus et vidi dictas res ab illo donatas, et publice scitur quando aliquid donatur et a quo donatur, maxime Ecclesiae ab aliquo Canonico, quia omnes vident tam dona, quam donantem, prout ego vidi, ut supra deposui, in causa scientiae etc.

De statu tamen Ecclesiae Christopolitanae dixit nihil scire, cum sit in partibus infidelium, et ideo non fuit ulterius interrogatus.

In f. 836v-840r sequuntur responsa ceterorum testium. In eiusmodi responsis magna ex parte repetuntur informationes a Mattheo Babinowski praebitae, exceptis his:

Tertius testis

[838v] Iuxta 11 respondit: Scio dictum Rev.dum D.num Canonicum functionum esse munere Vicarii Generalis, fuisse Administratorem Ecclesiae post mortem Rev.mi D.ni Episcopi praeteriti³⁰, et quando Ill.mus D.nus Episcopus³¹ discessit Italiam versus, reliquit Administratorem Ecclesiae Samogitiæ dictum Rev.dum D.num Canonicum. [...]

[840r] [Litterae Abrahami Woyna, Episcopi Samogitiensis]

Ill.mo et Rev.mo D.no Antonio Sancta Crucio, Archiepiscopo Seleuciae, Ss.mi Domini N.ri Praelato Domestico et Assistenti, in Regno Poloniae et Magno Ducatu Lithuaniae Nuntio, D.no Observantissimo.

³⁰ Stanislaus Kiszka (circa 1584-1626), epus Samogitiensis 1619.

³¹ Abrahamus Woyna.

Abrahamus Woyna, Dei et Apostolicae Sedis gratia Episcopus Samogitiensis seu Mednicensis etc., debitam observantiam et addictissima studia. Notum testatumque facimus, quod licet Ill.mus et Rev.mus, piae memoriae defunctus D.nus, D.nus Stanislaus Kisska, Episcopus Samogitiensis, Antecessor noster, Suffraganeatum Samogitiensem, iustis ac firmis adductus rationibus, in subsidium suum et cuiuslibet sui successoris perpetuo erexerat, constituerat et certis redditibus fundaverat ac dotaverat, atque a Sancta Sede Apostolica horum omnium ratificationem ad titulum Episcopatus Christopolitani impetravit et obtinuit, prout in litteris autenticis plenius extat et exprimitur. Verum tamen ob celerem (postquam ex Urbe rediit, nec limina sui Episcopatus attigit) ex hac miserabili vita decessum, ista, quae pie desiderabat, plenarie ad effectum deducere non poterat, ideo Nos, divina ordinatione in eundem Episcopatum succedentes et praedictae fundationi, ordinationi et ratificationi inhaerentes, dictamque Suffraganeatus in nostro Episcopatu erectionem et constitutionem ratam, gratam, firmamque habere cupientes, eorum quae in praesenti negotio desiderabantur, complementum facimus atque in Suffraganeatum nostrum Samogitiensem Ill.rem et Adm. Rev.dum D.num Ioannem Wyszymirsky, Sacrae Theologiae Licentiatum, Canonicum N.rum Mednicensem, et in spiritualibus ad praesens Vicarium N.rum Generalem Samogitiensem, de Ecclesia Dei a compluribus annis optime meritum, vetusta, nobili ac paelcara [840v] ortum familia, unacum Ill.ribus et Rev.dis D.nis Praelatis et Canonicis Venerabilis nostri Capituli, in quem omnes unanimiter et pleno fraternae charitatis affectu consenserunt, eligendum, nominandum, praeficiendum ac Ill.mae Celsitudini V.rae praesentandum duximus, prout in Dei Nomine iudicantes id plurimum Dioecesi nostrae necessarium et proficuum fore, quod Dioecesis haec crebrius desolata, gravibus et continuis fuerit onerata difficultatibus, quas celeriter conspire difficile est, et undequaque non solum intra, sed maxime ab extraneis confinibus multiplici haeresi circumsepta, militumque incursionibus valde aggravata, maxime cum onera senatoria et Ecclesiae Dei et Patriae negotia ad varios Conventus et Generalia Regni Comitia, hinc multum distantia, frequenter ob turbulentum et perturbatissimum huius Provinciae statum, summe necessario nos evocant, immo extrahunt, ob idque Suffraganei residentia [non] interrupta, summopere in absentia nostra ad repellenda ovium discrimina et tuenda ecclesiastica bona opus est, praeficiendum inquam duximus, prout auctoritate nostra ordinaria eligimus, nominamus et eundem Rev.dum D.num Wyszemirsky iuxta iurium limites praeficimus, Ill.maeque et Rev.mae Celsitudini V.rae praesentamus, vehe- menter obsecrantes, ut hunc eundem nostrum praesentatum benigne promovere, et litteras sacrae, seu confirmationis, super eadem ad Suffraganeatum nominatione et praesentatione ratificationis pro sua innata clementia im- petrare et obtinere dignetur. Deus Optimus Maximus merces erit amplissi- ma, cum id totum ad maiorem laudis Divinae et fidei orthodoxae propaga-

tionem dirigitur. Caeterum me, meaque propensa servitia Ill.mae et Rev.mae Celsitudini V.rae quam diligentissime commendamus. Datum Vilnae, die 20 Septembris Anno Domini 1627.

Abrahamus Woyna, Episcopus Samogitiae, loco sigilli

Andreas Ossowsky, Sacra Auctoritate Apostolica Publicus Notarius, praesens interfui praemissis, manu propria.

[Attestationes]

Quibus quidem... etc. Sequuntur attestations actorum processus a nuntio et notario datae et confirmatio facultatum notarii a nuntio facta (in f. 840v-841r) similis formae et tenoris ac in A. 1, p. 337-338.

A. 6.

Processus informativus Raphaelis Korsak ad coadiutoriam Kiovensem promovendi, ab Antonio Santa Croce confectus

Varsaviae, 7 - 9 II 1628.

Acta processus informativi Raphaelis Korsak, epi Haliciensis uniti, ad coadiutoriam ecclesiae Kiovensis, cum iure succeptionis post metropolitam Iosephum Velaminum Rutski, promovendi. Enumerantur nomina testium et interrogaciones eis propositae, ad personam promovendi et statum dioecesis pertinentes. Adducuntur testimonia Basiliatorum Meletii Kopysteński et Pachomii Orański, Dominican Martini Nieświeski, Dominican ac Iesuitae Zachariae Skoruski. Sequitur attestatio nuntii de professione fidei a Raphaele Korsak praestita (ipsa professio fidei deest), comprobationes authenticitatis actorum processus a testibus et a notario factae, attestatio nuntii de facultatibus notariorum.

Or.: AV, AC, Proc. Consistoriales, ms. 25 f. 275r-290r. In f. 290r subscriptio authographa: "Ludovicus Piazzolus, Seqr[etarius]". In f. 290r decisio Curiae Romanae: "Ego Cos[mus] Card. de Torres relationem facturus pro certo existimo R.P.D.. Raphaelem Korsak, Episcopum Halicensem Ritus Ruthenici, idoneum esse ut [...] in Coadiutorem R.P.D. Iosepho Velamin, Archiepiscopo Kiovensi, Metropolitano totius Russiae, cum spe futurae successionis, si Ss.mo D.no N.ro dispensare placuerit super defectu gradus, et quod dictus R.P.D. Raphael natus sit ex parentibus haereticis, et ad [...] nulla praevia super praedictis dispensatione a Metropolitano Kiovensi fuerat promotus. Cosmus Cardinalis de Torres, relator; idem censeo ego, Octavius, Episcopus Ostiensis, Cardinalis Bandinus; idem censeo ego, Scipio, Cardinalis Burghe-sius; idem censeo ego, Hipolitus Diaconus, Cardinalis Aldobrandinus".

Cop.: AV, F. Borghese, ms 469-474, f. 66r-68v (fragmentum).

- Ed.: Šeptyckyj MUH IX-X, p. 650-652.

IN NOMINE DOMINI. AMEN.

Praesenti publico processus et inquisitionis instrumento...etc. *similiter ac A. 4, p. 352-353.*

[275v] **Nomina testium**

1. Pater Milecius Kopystinski, Monachus Ordinis Sancti Basillii Ritus Ruthenici.
2. Rev.dus Pachomius Oranski, Monachus Ordinis eiusdem³².
3. Pater Martianus Nieswiemski, Ordinis Praedicatorum.
4. Adm. Rev.dus Pater Zacharias Skoruski, Societatis Iesu.

In f. 275v-276v sequuntur 13 interrogations, ad personam nominati spectantes, eiusdem tenoris ac in A. 5, p. 361-362.

[276v] **Alia vero interrogatoria super statu Ecclesiae, de quibus pariter supra fit mentio, sunt infrascripta.**

1. An testis sciat, in qua Provincia sita sit Civitas Kioviensis et Civitas Novogrodiensis, ad quam Sedes Archiepiscopalnis fuit ex dicta Civitate Kioviensi translata, cuius situs, qualitatis et magnitudinis sit, quot constet domibus et quod [sic] Christi fidelibus inhabitetur, cuius dominio in temporalibus subiaceat, et quae sit causa scientiae.
2. An sciat in illa Civitate esse Ecclesiam Cathedram vel Metropolitanam, sub qua invocatione, cuius structurae et qualitatis, an aliqua reparatione indigeat, et quae sit causa scientiae.
3. Si est Ecclesia Archiepiscopalnis, an sciat, quot Episcopatus Suffraganeos habeat et qui sint. Si est Episcopalnis, an sciat, cui Archiepiscopo sit Suffraganea, et quae sit causa scientiae.
4. Quot et quales sint in dicta Ecclesia dignitates, Canonicatus et alia beneficia ecclesiastica, quis sit numerus omnium Praesbyterorum et Clericorum inibi in divinis inservientium, quae sit dignitas maior post Pontificalem, quales sint redditus dignitatum, Canonicatum et aliorum beneficiorum, et an adsint Praebenda [277r] Theologalis et Poenitentia, et quae sit causa scientiae.
5. An in ea cura animarum exerceatur, per quem, an sit in ea fons baptismalis, et quae sit causa scientiae.
6. An habet Sacrarium sufficienter instructum Sacra Suppellectili, ceterisque rebus ad Divinum cultum et etiam ad Pontificalia exercenda necessariis, chorum, organum, campanile cum campanis et coemiterium, et quae sit causa scientiae.

³² Pachomius Orański († 1653), Ordinis S. Basillii Magni sodalis, postea ab a. 1637 epus Pinscensis unitus, ab a. 1652 etiam coadiutor metropolitae Kioviensis.

7. An sint in ea corpora vel aliqua insignes reliquiae Sanctorum, quomodo asserventur, et quae sit causa scientiae.

8. An habeat domum pro Archiepiscopi vel Episcopi habitatione, ubi et qualem, quantum distet ab Ecclesia et an reparatione indigeat, et quae sit causa scientiae.

9. An sciat verum valorem reddituum Mensae Archiepiscopalnis vel Episcopalis, ad quam summam annuatim ascendant, in quibus consistant, an sint aliqua pensione onerati, ad cuius vel quorum favorem dicta pensio sit reservata, et quae sit causa scientiae.

10. Quot existant in illa Civitate Ecclesiae Parochiales et an una quaeque habeat fontem baptismalem, quot item in illa existant Collegiatae, quot Monasteria virorum et mulierum, quot Confraternitates et Hospitalia, et an ibi sit mons pietatis, et quae sit causa scientiae.

11. Quantum sit ampla Dioecesis, quot et quae loca complectatur, et quae sit causa scientiae.

12. An in ea erectum [sic] sit Seminarium, quod [sic] in eo pueri alantur, et quae sit causa scientiae.

13. An ipsa Ecclesia vacet, quomodo, a quo tempore citra, et quae sit causa scientiae.

Primus testis

Eisdem anno, mense, die, inductione et pontificatu quibus supra, pro eodem, contra eosdem. [277v] Examinatus fuit Varsoviae et in Palatio solitae residentiae Ill.mi et Rev.mi D.ni Antonii Sanctacrucii, Archiepiscopi Seleuciensis, Nuntii Apostolici praedicti, et per dictum Ill.mum et Rev.mum D.num Nuntium secreto Pater Milecius Kopystynski, filius olim Alexandri ex Districtu Praemisiensi, Monachus et Sacerdos Ordinis Sancti Basillii Ritus Ruthenici et ad praesens Officialis Generalis Rev.mi Episcopi Praemisiensis eiusdem ritus³³, aetatis suae annorum 34 incirca, testis ab eodem Ill.mo D.no Nuntio ex officio vocatus, cui delato iuramento de veritate dicenda super interrogatoriis per dictum Ill.mum D.num Nuntium ut supra formatis, prout tactis etc. iuravit, dixit et depositus, ut infra videlicet, et primo:

Iuxta primum interrogatus respondit: Ego cognosco Adm. Rev.dum Patrem Episcopum Raphaelem Vilnae, in Collegio Societatis Iesu, a duodecim annis incirca, occasione qua ambo fuimus in studiis Vilnae, et deinde Prae- gae, in Collegio pariter Societatis Iesu ad studium, quo tempore ille erat saecularis et ego monachus; nec sum illius consanguineus, cognatus, affinis, nec nimium familiaris, aemulus vel odiosus.

Iuxta secundum respondit: Ego scio, quod dictus Adm. Rev.dus Pater

³³ Athanasius Krupecki (circa 1570-1652), ab a. 1609 epus Premisiensis unitus.

Episcopus erat Lithuanus, natus in Districtu Novogrodensi, Dioecesis Archiepiscopatus Kioviensis; et scio, quia ego fui in Monasterio Novogrodensi per multos annos et ibi ipsum eiusque parentes cognovi, et a pluribus audiui.

Iuxta tertium respondit: Suppono, quod dictus Adm. Rev.dus Pater Episcopus sit de legitimo matrimonio natus, et nescio an ex Catholicis parentibus, et pro tali publice et ab omnibus fuit semper habitus.

Iuxta quatum respondit: Audivi a multis dictum Adm. Rev.dum Patrem Episcopum esse aetatis annorum 30, sed ego credo, quod [278r] ipse habet plus quam 30 annos, quia quando ipse erat ad studium a duodecim annis Vilnae, ut supra deposui, erat vir adultus et plenus.

Iuxta quintum respondit: Scio dictum Adm. Rev.dum Patrem Raphaelem esse in Sacris Ordinibus constitutum, quia est Episcopus ordinatus in fine anni 1626; et scio, quia fui praesens quando fuit ordinatus a Metropolita Russiae³⁴.

Iuxta sextum respondit: Praedictum Adm. Rev.dum Patrem Episcopum esse in Ecclesiasticis functionibus et in exercitio ordinum susceptorum bene versatum, frequentem et devotum in susceptione Sacramentorum, quia ille fuit Religiosus per sex et plures annos, et audivi quod inservivit et modo inservit Ill.mo Archiepiscopo Metropolitae pro Suffraganeo cum omni diligentia, et vidi multoties illum celebrantem et esse devotum.

Iuxta septimum respondit: Scio dictum Adm. Rev.dum Patrem Episcopum a tempore quo, ut supra deposui, semper Catholice vixisse et in fidei puritate permansisse; et scio, quia versatus sum cum illo.

Iuxta octavum respondit: Scio dictum Adm. Rev.dum Patrem Episcopum esse praeditum innocentia vitae, bonis moribus, et bonae conversationis et famae; et scio, quia versatus sum cum illo.

Iuxta nonum respondit: Scio dictum Adm. Rev.dum Patrem Episcopum esse virum gravem, prudentem et usu rerum praestantem; et scio ob dictam causam conversationis cum ipso.

Iuxta decimum respondit: Scio, quod dictus Adm. Rev.dus Pater Episcopus studuit Vilnae, Brantzbergae, Pragae et Romae in Collegiis Societatis Iesu pro alumno; et scio non esse Doctorem, nec insignitum gradu Doctoratus, quia pro humilitate non licet Monachis Sancti Basilii, sed a tempore, quo illum cognovi, semper fuit in studiis, et [278v] scio esse doctum, et dedit operam litteris cum fructu, quia fuit Concionator et Praepositus Monasterii sui Ordinis Vilnae maxima cum laude et pollere ea doctrina, quae in Episcopo requiritur, ut possit alios docere; et scio ex causa predictae conversationis cum ipso ut supra habitae.

Iuxta undecimum respondit: Scio, quod dictus Episcopus functus est munere Superioris, prout modo est Superior Religiosorum Ordinis Sancti Basilii in Monasterio Sanctissimae Trinitatis in Civitate Vilnensi, et modo

³⁴ Iosephus Velaminus Rutski.

est Praepositus Generalis eiusdem Ordinis Sancti Basillii Russiae, in qua se bene gessit, tam quoad doctrinam, quam quoad prudentiam, integritatem et mores; et scio ex praedicta conversationis causa.

Iuxta duodecimum respondit: Scio dictum Adm. Rev.dum Patrem Episcopum unquam scandalum aliquod dedisse, nec circa fidem, mores sive doctrinam, nec teneri corporis aut animi vitio, nec alio impedimento canonico, quominus possit in Coadiutorem promoveri cum futura successione ad Metropolitanam Ecclesiam Kiovensem et totius Russiae, et si detineretur aliquo impedimento aut aliquod scandalum dedisset, scirem ob praefatam causam conversationis.

Iuxta 13 respondit: Existimo dictum Adm. Rev.dum Patrem Episcopum idoneum ad bene regendam Ecclesiam Cathedralem, et praesertim illam, ad quam ille est promovendus, et dignum ut ad illam promoveatur, et ipsius promotionem utilem et profituam esse censeo, quia ut supra deposui cognosco illum esse doctum, pium, sufficientem et omnibus virtutibus et qualitatibus praeditum.

Deinde deventum fuit ad interrogatoria super statu Ecclesiae, et primo:

Iuxta primum respondit: Civitas Kiovensis est sita in Provincia Russiae, celebris inter alias Civitates Russiae [279r] et est satis ampla, et nescio quot domibus constet, et est inhabitata a Schismaticis, qui non permitunt ibi manere Archiepskopum, nec aliquem famulum spiritualem, quia statim illos occidunt, sed a centum annis dicta Sedes Archiepiscopalnis fuit propter incursionem Tartarorum et alias rationes translata ad Civitatem Novogrodensem in Lithuania, quae Civitas Novogrodenensis est sita in collibus, est magna et celebris, et nescio quot domibus constet, nec bene scio numerum illius animarum, sed existimo ascendere fere ad numerum mille animarum, et est sub dominio in temporalibus Sacrae Regiae Maiestatis Poloniae, et haec omnia scio, quia ibi fui per aliquod tempus in Monasterio nostri Ordinis et dictam translationem Ecclesiae Cathedralis audivi tam a Metropolita moderno, quam ab aliis.

Iuxta secundum respondit: Scio in dicta Civitate Novogrodiensi esse Metropolitanam Ecclesiam, sub invocatione SS. Martyrum Romani et Davidis, et est muro constructa, et prius erat valde destructa, sed dictus Archiepskopus Metropolita modo illam restaurat; et scio, quia ibi mansi in Monasterio nostri Ordinis, ut supra deposui.

Iuxta 3 respondit: Scio dictam Ecclesiam Archiepiscopalem habere septem Episcopatus Suffraganeos, et sunt: Polocensis, Wlodimiriensis, Luceo-riensis, Pinsensis, Praemisiensis, Chelmensis, Smolenscensis, et praeter hos etiam modo est [...]^{a)}, Episcopus Schismaticus, qui partem iurisdictionis Ill.mi Metropolitae occupavit et modo appellatur Leopoliensis³⁵; et scio,

³⁵ Ieremias Tyssarowski.

quia fui in dictis Episcopatibus et audivi quoque ab aliis.

Iuxta 4 respondit: Scio non esse in dicta Ecclesia Archiepiscopali dignitates nec Canonicos, sed tantum quatuor vel quinque Praesbyteros, qui inserviunt et vivunt de Eleemosinis, et sunt ibi etiam Monachi, qui habent residentiam in dicta Ecclesia et solent ibi inservire, [279v] et scio, quia ibi fui et mansi, ut supra deposui.

Iuxta 5 respondit: Scio in dicta Ecclesia Archiepiscopali Novogrodensi exerceri curam animarum per supranominatos Praesbyteros, qui etiam sunt Parochi, et ibi est fons baptismalis; et scio ex causa praedicta, quia ibi fui et vidi.

Iuxta 6 respondit: Scio adesse in dicta Ecclesia Metropolitana Sacrum non splendidum et magnum, sed cum paupertate, verumtamen est sufficiens, prout etiam necessaria ad Pontificalia exercendum, chorum, campanile cum campanis et coemiterium, secundum paupertatem Ecclesiae, organum vero non est, quia non est in usu; et scio ex causa praedicta causa, quia ibi fui et mansi.

Iuxta 7 respondit: Scio in dicta Ecclesia Metropolitana adesse reliquias Sanctorum Cirilli, Methodii, Basillii et lignum S. Crucis, et decenter asservantur; et scio, quia ibi fui, vidi, ut supra deposui.

Iuxta 8 respondit: Scio adesse domum pro habitatione Archiepiscopi prope Ecclesiam, et est sufficiens; quae domus antea erat destructa, sed dictus Archiepiscopus reparavit, nec indigeat modo reparatione, et scio ex causa, quia ibi fui et vidi.

Iuxta 9 respondit: Scio, quod redditus dictae Archiepiscopalnis Ecclesiae ascendit ad summam florenorum trium millium quolibet anno, et consistit in variis villis subiectis dictae Ecclesiae, etiam in temporalibus non est aliqua pensione gravata; et scio, quia ibi fui et mansi, ut supra deposui.

Iuxta 10 respondit: Scio adesse quatuor vel quinque Ecclesias Parochiales, in quibus Praesbyteri supranominati solent Sacraenta administrare, [280r] et una quoque habet fontem baptismalem, scio adesse quoque Monasterium Sancti Basillii nuper extructum, adesse etiam Confraternitates, sed nescio sub qua invocatione, et esse hospitale, montem vero pietatis non adesse; et scio ex causa praedicta, quia ibi fui et mansi.

Iuxta 11 respondit: Scio amplam esse Dioecesim Metropolitanam, et habet multos Districtus, sed nescio quae loca complectatur, tamen scio, quia ibi fui, ut supra deposui.

Iuxta 12 respondit: Non esse Seminarium, sed modo fundatur, quod debet esse commune omnibus Episcopis Russiae, quia fundatur communis eorum contributione; et scio quia ibi fui et vidi.

In f. 280r-284v sequuntur responsa reliquorum testium, ex quibus Pachomius Orański respondet ad interrogatoria, ad candidatum et statum dioecesis pertinentia, reliqui vero non nisi de candidato testimonium praebent. In re-

sponsis testium magna ex parte adducuntur informationes a Meletio Kopysteński praebitae (vide supra), excetis his:

[280r] **Secundus testis**

[...]

Iuxta primum interrogatus respondit: Ego cognosco supradictum Episcopum Halicensem a decem annis citra, dum eram saecularis, occasione qua ego studui Brantzbergae et Romae spatio trium annorum, et spatio unius anni insimul fuius in Collegio Graeco, et dictus Episcopus erat tunc Monachus, nec sum illius consanguineus, cognatus, affinis, nec nimium familiaris, aemulus vel odiosus.

[...]

[280v] Iuxta 3 respondit: Audivi et publice habetur, quod dictus Episcopus sit natus ex parentibus haereticis, sed de matrimonio legitimo.

[...]

Iuxta 5 respondit: Scio dictum Episcopum esse in Sacris Ordinibus constitutum, quia est Episcopus; et scio, quia fui praesens quando fuit ille consecratus ab Ill.mo D.no Metropolita in Civitate Kobrin, et est [...]^{b)} annum elapsum, et modo non habet possessionem dictae Ecclesiae Halicensis, quia possidetur ab Episcopo Schismatico³⁶.

[...]

[282v] **Tertius testis**

[...]

Iuxta 3 respondit: Credo dictum Episcopum esse natum de legitimo matrimonio, quia publice ita reputatur, et si contrarium esset, scivissem ex conversatione, ut supra deposui, cum ipso habita, et credo, quod mater ipsius erat Schismatica, de patre autem nescio. [...]

[285r] Eisdem anno, mense, inductione etc... *In f. 285r-v, 290r sequitur attestatio nuntii de professione fidei a candidato praestitae (ipsa professio deest), comprobationes authenticitatis actorum processus a testibus et notario factae, attestatio nuntii de facultatibus notarii, formae et tenoris similis ac A. 1, p. 337-338.*

a) *Relictum spatium album.*

b) *Duo verba non leguntur.*

³⁶ Halicia (Halicz) de more existimabatur una ex sedibus episcopatus Leopoliensis, quem tunc Jeremias Tyssarowski, non unitus ("schismaticus"), obtinebat.